# DE OVIDIANA IN CARMINIBUS BURANIS QUAE DICUNTUR IMITATIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

HERMANN UNGER
POMMERANUS.

DIES PROMOTIONIS: 21. Mens. Decembr.
A. MCMXIV.

Rettulerunt ad ordinem de hac dissertatione:

EDUARD NORDEN, Dr. Prof. publ. ord.
KARL STRECKER, Dr. Prof. extraord.

ARGENTORATI.
Typis expresserunt „Straßburger Neueste Nachrichten A.-G."
1914.

PARENTIBUS
S.

# INDEX.

| | | Pag. |
|---|---|---|
| CAPUT I. | De Ovidii in medii aevi scholis auctoritate | 1 |
| CAPUT II. | De Ovidio sententiarum moralium auctore | 8 |
| CAPUT III. | De Ovidio praeceptore amoris | 13 |
| CAPUT IV. | De Ovidio fabularum auctore | 25 |
| CAPUT V. | De Ovidio rhetore | 45 |
| CAPUT VI. | De Archipoeta et Ovidio | 59 |

Caput I.

# De Ovidii in medii aevi scholis auctoritate.

Cum anno 1803 omnia Germaniae monasteria tollerentur, in vetere abbatia Bavarica, cui nomen erat Bura — nunc Benedictbeuren — codex in lucem protractus est, qui circa 200 carmina et latina et germanica usque ad illud tempus plerumque ignota continebat. Quattuor deinceps annis Aretinus et Docenus, praefecti bibliothecae electoralis — nunc regiae — Monacensis, cui codex attributus erat (nr. 4660), selecta carmina ediderunt. Anno 1847 demum Schmeller editionem totam integram paravit.[1]) Haec carmina neque eodem tempore condita sunt neque ab eodem auctore, sed redeunt fortasse ad unum aut plura maiora corpora.[2]) Codex scriptus est initio s. XIII. Maxima pars carminum Buranorum latinorum — haec tantum a nobis respiciuntur — clericis s. XII. adscribenda est, qui, cum ecclesiae severitate ac disciplina non contenti desiderio libertatis adducti per orbem terrarum vagarentur, vagi vel vagantes nominabantur. Vitam et societatem suam ipsi versibus expresserunt (cf. CB. 174, 175, 179, 181, 193).[3]) Carminibus effuderunt omnes animi motus,

---

[1]) Schmeller, Carmina Burana I. edit. 1847. IV. 1904. p. III sqq.

[2]) Jaffe, S. Die Vaganten und ihre Lieder. Prgr. Berl. 1908. p. 22.

[3]) Docen. Miscellaneen z. Gesch. d. d. Litt. 1807 II 193. Giesebrecht, Die Vaganten oder Goliarden und ihre Lieder in Allgem. Monatsschrift 1853 p. 13 sqq.

Hubatsch. Die lat. Vagantenlieder des MA. Görlitz 1870. p. 1 sqq.

amorem odium, gaudium tristitiam, ut alia plena sint summae laetitiae atque hilaritatis, aliis acri subtilique iudicio mores et vitia cum saeculi tum ecclesiae percenseantur.

Valde autem dolendum est post Schmeller neminem ausum esse carmina iterum edere, quorum etiamsi Iac. Grimm, Hubatsch, Giesebrecht, Peiper, Laistner, alii multa emendaverunt, plura sunt mendosa et depravata et explicatione indigentia. Et digna sunt haec carmina, quibus magis magisque studeatur, non solum propter ea quae poetae de suis aut suae aetatis factis prodiderunt, sed etiam hac de causa, quod omnes fere ex antiquis poetis suum quisque vel suos elegerunt, quos in versibus pangendis sequerentur.[1]) Raro enim nova cecinerunt, raro e suis ingeniis carminum argumenta prompserunt, sed plerumque ex feliciore aetate quasi e thesauro sententias susceperunt, quas pro mutata saeculi ratione in novas formas redigerent et aequalium ingeniis adaptarent. Sic etiam in hos poetas saeculi XII. valent, quae Petrarca (ep. rer. fam. VI 2 p. 315) de se confessus est: *Testatus sum me nihil novum, nihil fere meum dicere, immo vero nihil alienum; omnia enim, undecumque didicimus, nostra sunt* . . .

Facile autem intellegitur eos in Augusteam aetatem animos remisisse; nam utriusque aetatis proprium est et mysticum quoddam cum obscuro desiderio verae religionis et acrior animi impetus, qui apparet studiis liberalibus laetiora capientibus incrementa. (Imprimis Francogallia acribus promptisque ingeniis insignis erat, ibique praecipue doctrinarum perfugia florebant.) Itemque non mirum ipsius Ovidii Musam protervam facilibus horum sodalium moribus gratissimam fuisse.

Huius carminum memoria numquam ne obscurissimis

[1]) Huemer, I. Lat. Rhythmen des M. A. in: Wien. Stud. 1883 p. 150 sqq.

quidem medii aevi temporibus extincta est.[1]) Neque vero eadem semper gratia fructus est Sulmomensis poeta. Postquam enim poetae Carolini aevi eum assidue expilaverunt — cf. P. L. Aev. C. ed. Duemmler et Traube — duobus sequentibus saeculis raro verba eius allata invenimus. Inde ab XI. denique saeculo in novam claritudinem pervenit, quam usque ad extremum medium aevum servavit.[2])

Quantopere tum omnes carminibus eius delectati sint, et ex magno Ovidianorum codicum numero huius aetatis apparet — ut codices crebrius describerentur, multum quoque contribuit charta bombycina, quae membranaceae loco adhiberi coepta erat et minoris pretii erat — et inde perspicitur, quod poemata et antiquitatis et medii aevi eius nomine ferebantur; quo ex numero sunt carmina *de nuce,* quae *elegia* nec tanto honore plane indigna videtur neque ab Ovidiana aetate longe remota[3]), *in laudem Calpurnii Pisonis, de Philomela* etc. apud Riese Anth. lat. II 360 sqq. s. v. *Ovidius, elegia de pulice, contentio veris et hiemis, altercatio ventris et artuum, de vetula, de excidio Troiae,* — haec elegia, cuius auctorem

---

[1]) cf. Norden, Ed. Die antike Kunstprosa. Lpzg. 1898, II 693.
Manitius, Philologisches aus alten Bibliothekskatalogen, Rh. M. 47 append. 31 sq.
Id. Beiträge zur Gesch. der röm. Dichter im MA., Phil. 25, 546sq.
Id. Beiträge zur Gesch. Ovids und anderer röm. Schriftsteller im MA., Phil.. supl. VII 724sq. — Additamenta in: Liter. Zentralbl. 1900. 27, 1129.
Ehwald, Rud. Ad historiam carminum Ovidianorum recensionemque symbolae. Prgr. Gotha 1889 et 1892.
Sandys, I. E. A History of Classical scholarship from the sixth Century b. C. to the end ot the Middle Ages. Cambridge 1906. p. 638sqq.
Paris, G. La littér. franç. au moyen âge 1909. §§ 49, 104, 111.
Przychoki, G. Accessus Ovidiani Krakow. 1911. p. 5.

[2]) cf. Bartsch, K. Albrecht von Halberstadt und Ovid im MA. Quedlinburg 1861 p. II.

[3]) cf. Wilamowitz in commentat. in honor. Th. Mommseni p. 390.

fuisse constat Bernhardum Floriacensem[1]), etiam inter Carmina Burana recepta est (CB. CLII) —, *de nummo,* etiam plura, quae inveniuntur apud Goldast.[2]) Multis autem ex causis Ovidius tanta caritate usus est. Primum enim non modo Vergilius, cuius sententiae a christianorum disciplina moribusque minime abhorrere et omnium paganorum proxime ad doctrinam christianam accedere videbantur, medio aevo et magus portentosis miraculis insignis et christianus ducebatur,[3]) sed etiam Sulmonensi poetae tribuebatur sapientia plus quam humana; Messiae adventum praedixisse putabatur et ut Vergilius christianus habebatur.[4]) Ignotus enim auctor cuiusdam commentarii Ovidiani,[5]) qui in codice s. XI. (XII.) asservatur Benedictoburano, Ovidium christianae legis studiosissimum fuisse et supplicii tantum timore — nam Domitiani temporibus eum vixisse credit — veterem Romanorum religionem esse professum praedicat.[6]) Quod cohaeret cum studio allegorice et mystice interpretandi, quae ars antiquissima (cf. schol. ad Hom. Y 67) medio aevo a theologis maxime exculta huiusce aetatis ingeniis mirum in modum placuit.[7])

Non enim verbis, quibus traditae erant fabulae, sed rebus quas repraesentabant sub iis latentibus utendum esse contendebant, utpote quae ad aliquam vitae certam

---

[1]) cf. Bartsch l. c. p. VIII.

[2]) Goldast, Catal. Ovid. Francof. 1610; cf. Leyser, Polycarp. hist. poet et poemat. med. aev. Hal. 1721.

Pascal, C. Poesia latina medievale. Catania 1907. p. 90 sqq.

Id. Letterat. lat. mediev. Nuovi saggi e note critiche. Catania 1909. p. 81sqq.

[3]) cf. Comparetti, D. Virgilio nel medio evo. Firenze 1896 p. 91 sqq.

[4]) cf. Giorn. storico V 485 sqq.

[5]) cf. Meiser. Ueber einen Kommentar zu den Metamorph. des Ovid in S. B. d. K. B. Ak. phil.-hist. Kl. 1885, p. 51 sq.

[6]) cf. Przychoki l. c. p. 3.

[7]) cf. Haase, H. A. F. De med. aev. stud. philol. disputatio. Wratisl. 1856. p. 22.

Id. Miscell. Phil. lib. III Wratisl. 1869.

Paris, G. Hist. littér. de la France t. XXIX. 498.

regulam spectarent. Itaque Theodulfus episcopus Genabi († 821) defendit Vergilium, Ovidium, ceteros,

in quorum dictis quamquam sint frivola multa,
plurima sub falso tegmine vera latent,[1])

et saeculo XIV. Robertus Holkot († 1349) *Moralia super Ovidii Metamorphoses* scripsit. — Quin etiam nomen Nasonis ridicula etymologia usus commentator quidam allegorice interpretatus est, *quia sicut per nasum fetida ab odoriferis discernimus, ita vitia a virtutibus disgregavit.*[2]) — Accedit quod Ovidii carmina nequaquam a vulgari intellegentia sensuque disiuncta erant atque candida oratione etiam minus doctis acceptissima esse debebant. Neque minus illius auctoritas adscribenda est novae rationi scribendi, exquisitiori et elegantiori,[3]) quae inde a XII. saeculo auctore imprimis Christiano Tricassino floruit.[4]) Ovidius autem descriptionibus suis offert mentibus gratissimas picturas et elegantibus verbis peracutas sententias ornat. Quamquam non defuerunt qui pro animorum salute anxii obstarent, ne opera Ovidii discipulorum manibus traderentur,[5]) tamen propter has virtutes in schola lectitabantur, idque eo facilius quod ea quae pudorem laedebant, allegorica interpretatione commode in meliorem partem vertebantur. Sic Hugo Trimbergensis (ca. 1280)[6]) auctores, qui in scholis legantur, enumerare pergit:

---

[1]) Migne P L. CV 187, c. IV.

[2]) cf. Sedlmayer, Beitr. z. Gesch. der Ovidstudien im MA. Wien. Stud. 1884, 142 sqq. Id. Prolegg. crit. ad Heroid. p. 96 sqq.

[3]) cf. Sudre, L. P. Ov. Nas. Met. lib. quomodo nostrates med. aev. poetae imitati interpretatique sint. Diss. Paris. 1893. p. 8.

[4]) cf. Schmidt, Jul. Ioh. Parvus Sarisberiensis quomodo inter aequales antiquarum litterarum Studio excelluerit inquiritur. Diss. Wratisl. 1839, p. 67.

[5]) cf. Graf, A. Roma nella memoria e nelle immaginazioni del med. ev. Torino 1883. II 296.

[6]) ed. Haupt, M. Hugo v. Trimberg, das Registrum multorum auctorum in: Ber. üb. d. Verh. d. K. Pr. Ak. d. W. Berl. 1854 p. 142 sqq. et

Huemer, I. das registr. mult. auct. des H. v. Tr., ein Quellenbuch zur Lat. Lit.-Gesch. d. MA. in: S. B. d. Kais. A. d. W. phil. hist. Kl. Wien 1888.

Sequitur Ovidius dictus puellarum,
Quem in scolis omnibus non credo fore rarum.

Ex eius carminibus pueri sententias morales discebant et artem grammaticam [1]) et metricam.[2])

Nam scholis maxime probati erant ii scriptores, qui et ad mores regendos utiles esse videbantur et rhetoricis artificiis praestabant.

Sed non solum lectione, verum etiam imitatione eum dignum duxerunt. Haec imitatio alia nimirum est atque inter poetas Romanos. Nam cum illi sermone patrio uterentur, hi linguam latinam in schola discebant studio et lectione antiquorum scriptorum. Cum igitur illi in eadem re describenda ingenio suo et natura facile in eandem dicendi rationem incidere potuerint atque poetae antecedentes, hi omnino in eligendis verbis pendent ex eis scriptoribus, quos legerunt. Ex quo efficitur, ut ad necessitudinem inter poetam medii aevi et poetam antiquum demonstrandam singula vocabula plus valeant quam inter binos poetas Romanos. *Quatenus Carminum Buranorum auctores veterum Romanorum poetas imitati sint,* Heinrich quidam inquisivit.[3]) Sed nihil fere aliud hic vir doctus effecit, quam ut collationem locorum similium, ac ne eam quidem plenam, praebeat. Omnino Carmina Burana a similibus carminum corporibus secernenda non sunt, sed respicienda sunt alia quoque carmina, quae in diversis codicibus eiusdem aetatis exstant. Adhibebimus igitur cod. Laur. 29, 1. s. XIII.[4]) cod. Paris. 3719 s. XII.[5]) cod. Helmst. 628 s. XIV.[6]) cod. Turic. 58/275

---

[1]) cf. ap. Tafel, S. Die Ueberlieferungsgesch. v. Ovids carmina amatoria. Diss. München 1909. p. 48 sqq, ubi ii codices afferuntur, in quibus Ovidius in grammaticorum numero ponitur.

[2]) cf. Ioa. Parv. Sarisb. Policr. III 5, 11; VI 19; VII 24.

[3]) Prgr. Cilli 1882.

[4]) K. M. Dreves in Anal. hymn. XX et XXI.

[5]) Ibid. et ap. Edélestand du Méril, Poésies populaires latines antérieures au XII[e] siècle. Paris 1843. Id. Poés. pop. lat. au moyen âge. Paris 1847.

[6]) Milchsack, E. Hymni et Sequentiae. Hal. 1886.

s. XIII,[1]) alios multos quos suo loco afferemus.

Quibus praemissis iam ad tractandam quaestionem de Ovidiana in Carminibus Buranis imitatione accedamus. Qua in re optimum videtur esse hanc rationem sequi: primum agere de Ovidio sententiarum moralium auctore, deinde de Ovidio praeceptore amoris, tum de Ovidio fabularum scriptore, postremo de Ovidio rhetore. In appendice paucis disseramus de Archipoeta qui dicitur, quasi de altero Ovidio.

[1]) Werner, I., Beitr. z. lat. Kunde des MA. Aarau 1905.

Unus hic silentio non est praetereundus, Matthias Flacius Illyricus, strenuus Lutheri successor, qui dum in conscribenda *historia ecclesiastica* occupatus bibliothecas acri studio perscrutatur, in codices quosdam incidit continentes carmina quae typis mandanda curavit. (Carmina vetusta . . . Vitebergae 1548. Pia quaedam vetustissima poemata... Magdeb. 1552. Varia doctorum piorumque virorum de corrupto ecclesiae statu poemata. Basil. 1557). Tanta autem neglegentia Flacius munere suo functus est, ut permulta posteris emendanda relinqueret. Tamen magnum fructum ex conferendo haec carmina percipimus.

## Caput II.

# De Ovidio sententiarum moralium auctore.

Praeter versus rhythmicos, qui modi sive moduli vocantur, inter Carmina Burana inveniuntur etiam metrici, qui versus dicuntur. Hi sententias morales continent, quae in schola edisci et solebant et solent. Partim sunt leonini partim heroici versus. Heroici autem plerumque poetis antiquis adscribi possunt veluti CB. IIa$_3$ Horatio (Ep. I 18, 9), CB. IIa$_4$ Iuvenali (Sat. XIV 109), CB. 178a$_6$ Vergilio (Cop. 37). Sed ne Ovidianae quidem sententiae morales desunt, quod ex magna auctoritate, qua illum in schola usum esse cognovimus, facile intellegitur.

In has igitur sententias accuratius nobis inquirendum est.

Initium autem facimus a disticho quod exstat CB. 155a:

Non honor est sed onus species laesura ferentis.
Si qua voles apte nubere, nube pari.

Hoc ad verbum sic legitur Ov. Ep. IX 31sq., quam epistulam Ovidius a Deianira scriptam esse finxit.[1]) Alio loco hanc ipsam epistulam a quodam carminis Burani auctore in suam rem conversam esse ostendam. Possunt igitur hi versus ex ipso Ovidio deprompti esse, sed cum

---

[1]) Hi versus etiam ei noti erant, qui scripsit (Wright, The latin Poems commonly attributed to Walter Mapes London 1841 — W. M. — p. 250 v. 228) *onus et non honor est, quod nos sustinemus.*

mihi persuaserim et hanc sententiam et ceteras omnes non solum in aliis eiusdem aetatis carminibus — sive carminum corporibus —, sed etiam in florilegiis inveniri, concedemus hos auctores etiam ex derivato fonte potuisse haurire.[1]) Atque huius distichi primum versum legimus apud Wright (W. M. p. 165 v. 72) et in cod. Herdring. (s. XIV.) fol. 11r. v. 119.[2])

Iam vero ad eas sententias mentem advertamus, quae leniter discrepant a solita lectione. Ex Ov. ex P. IV 3, quo carmine poeta exul hominem ingratum conqueritur, qui se in miseria versantem reliquerit, hi versus (49 sq.) sumpti sunt:

Ludit in humanis divina potentia rebus,
Et certam praesens vix feret hora fidem.

Sed CB. LXXXVIa legimus *luit* pro *ludit, habet* pro *feret, diem* pro *fidem*. Illud *habet* non praebet difficultatem, cum exstet etiam in Ovidiano codice Etonensi (s. XI.). Aliter vero discrepantiae *luit* et *diem* explicandae sunt. Nam aut incuriose transscripsit codicem quendam librarius aut non recte accepit, quae ei dictabantur. Illud sane esse potuit, sed hoc mihi ad veritatis similitudinem videtur esse propensius, cum praesertim multa similia exempla suppetant, e quibus duo eligo. Carmine enim VIa hi versus Horatiani traditi sunt. (Ep. II 1, 262 sq.):

Discit enim citius meminitque libentius illud,
Quod quis deridet, quam quod probat et veneratur.

Sed pro *veneratur* legimus *venit apte*, quae verba omni sensu carent. Itemque CB. IIa 4,2 scriptum videmus versum iuvenalis (Sat. XIV 109) sensu orbatum. Cum tantae corruptelae neque memoriae lapsu neque in transscribendo accidere potuerint, nihil relinquitur nisi ut librarius dictata saepe male acceperit et male accepta manui

---

[1]) cf. versus ex antiquis poetis electos qui inveniuntur in cod. Tur. 58/275 fol. 13r (Werner l. c. p. 50sq.) et fol. 154r—158r, in cod. Bern. 710 (s. XII/XIII) fol. 1r — 55v (cf. Werner l. c. p. 189), in cod. 227 Heiligenkreuz (Huemer Z. f. d. oest. G. 32, 415sqq.).

[2]) ap. Werner l. c. 160b.

tradiderit — ut omittam eum haud ita versatum fuisse in lingua Latina. Addere liceat illam sententiam Ovidianam inveniri bis apud Wright[1]) et in carmine quodam Hilberti Lavardini († 1134)[2]) et initio carminis, quod Anselmo Cantuarensi adscribitur.[3])

Ex eodem carmine Ovidiano altera sententia petita est, quae eadem leniter discrepat a solita lectione. Est autem haec (CB. VIa3):

Omina sunt hominum tenui pendentia filo.

In nostris autem editionibus Ovidianis legimus (ex P. IV 3,35) *omnia* et rectissime quidem propter versum, qui sequitur. Neque vero ille librarius erravit; nam *omina* praebent permulti codices (βE' F. L. V² ω), et sic quoque versus traditur in carmine quodam apud Wright[4]) et in florilegio Gottingensi (s. XIV.) et bis in cod. Tur. 58/275[5]) et in carmine Hilberto adscripto.[6])

Aliud genus variae lectionis etiam in his sententiis Ovidianis occurrit: Nam CB. IIa3 duos versus Ovidio (Rem. 323 sq.) delibatos continet:

Et mala sunt vicina bonis, errore sub illo
Virtus pro vitio crimina saepe tulit.

Omnes autem Ovidii codices praebent *pro vitio virtus*. Hanc immutationem verborum neque incuria neque consulto ortam esse alia eiusdem generis exempla docent. In eodem enim CB. affertur Hor. Sat. I 2,24 sic:

Dum stultus vitat vitia in contraria currit,

cum omnes Horatii codices habeant *vitant stulti*. (Singularis numerus exstat propter versum qui ex Iuvenale (Sat. XIV 104) sumptus sequitur: *fallit enim vitium specie virtutis et umbra)*.

---

[1]) Political Songs. London 1839. Pag. 172 v. 169 et p. 177 v. 228.

[2]) cf. Hauréau, les mélanges poétiques d'Hildebert de Lavardin. Paris 1882. p. 89.

[3]) Migne P. L. 163, 707.

[4]) Polit. songs p. 36 v. 152.

[5]) fol. 141v et fol. 153r.

[6]) Migne P. L. 171, 1349.

Aliud exemplum est Hor. Ep. I 2, 57:

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

CB. LXXIVa2 habet *rebus macrescit*, idemque Eberhardus Bethuniensis Laborinth. III 669.[1])

Sed iam ad sententiam quandam nos vertamus, cui praeter immutationem poeta consulto lenem discrepantiam intulit. Ovidii enim Trist. V 8, 15—18 ita in CB. LXXVIa leguntur:

Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
  Et manet in nullo certa tenaxque loco,
Sed modo laeta manet, modo vultus sumit acerbos,
  Et tantum constans in levitate manet.

In Ovidii autem codicibus exstat *vultus modo* pro *modo vultus* — hoc iam praetereo — et *sua est* pro *manet*. Cuius variationis causa mihi videtur esse haec: ceteri omnes huius carminis versus sunt leonini, qui elisionem raro patiuntur; cum in his versibus elisio non inveniatur, poeta repetivit *manet* simul efficiens, ut versus Ovidianos tamquam suos immisceret.[2])

Breviter iam commemoro auctorem Carminis Bur. CLXXa

(Diligitur, colitur, quem sors illumnat aere,
Spernitur et premitur, qui nulla videtur habere.
Si fueris dives, multorum laude fueris,
At neglectus eris, si copia nulla sit aeris.)

imitando effinxisse Ov. Trist. I 9, 5 sq. *Donec eris* . . . . . Eandem imitationem legimus in floril. Gotting. nr. 51 et 115.

[1]) ed. Leyser l. c. p. 843; cf. Honorius Augustodunens. De philos. mundi III praef. (Migne P. L. 172, 75), Petrus Cantor c. 11. (Migne P. L. 205, 52) cf. Manit. Phil. 61, 463, cod. Herdring. fol. 118r v. 136 (Z. f. d. A. 49, 232).

[2]) Hunc de fortunae instabilitate locum poeta quidam sic immutavit (cod. Tur. 58/275 fol. 42v v. 27 sqq. — Werner l. c. p. 96 — ):

has ludit Fortuna vices, regesque superbos
  aut servos humiles non sinit esse diu,
illa dolosa comes, sola levitate fidelis,
  non impune favet aut sine fine premit.
illa, mihi quondam risu blandita sereno,
  mutavit vultus, nubila facta suos.

Una restat sententia, quam consulto seposui. Ovidii enim versus (ex P. I 3, 17 sq.)

Non est in medico semper relevetur ut aeger,
Interdum docta plus valet arte malum

legimus CB. 137b, sed lepidissime deflexit auctor *malum* in *manus*. Qua mutatione poeta medii aevi versum non modo reddidit leoninum (semper — aeger, plus — manus),[1] sed etiam Christiano sensu ornavit. — Baernstein quendam ita versum alterum germanice vertisse:[2] *mehr als die Kunst noch vollbringt oft die gelehrige Hand,* in transcursu ioci causa profero. —

At alia ex causa sententiarum Ovidianarum seriem absolvo hac prolata. Quamquam enim primus versus invenitur etiam in codice Vindobonensi s. XIII,[3] tamen hic auctor carmen Ovidianum ipsum ob oculos habuisse putandus est, quod facile mihi concedes, si versus qui in CB. sequuntur.

Vim fidei menti facundia dat sapienti,
cum resonat plene facundia vocis amoenae

contuleris cum versibus Ovidianis eiusdem carminis (ex P. I 3, 11 sq.):

Non tamen exhibuit tantas facundia vires,
Ut mea sint victis pectora sana tuis.

Res ipsa imitationem arguit.

Hic quaerat quispiam, num quid ex his sententiis ad emendationem Ovidianam profici possit. Sed hi poetae vulgatam, quae dicitur, repraesentant lectionem atque antiquos versus, ut cognovimus, ad suum arbitrium et usum immutant.

---

[1]) Simili modo Ov. A. A. III 502 *candida pax homines, trux decet ira feras* in floril. Omeriano s. XIII. (E. Voigt Rom. Forsch. VI 560 nr. 27) in versum leoninum immutatum legimus: *bella placent pravis, rectos decet ordo suavis,* et Ov. A. A. II 13 ibid. (nr. 47): *Cantus servator tibi praestat, stulta lucrator.*

[2]) Perwert Ad. v. Baernstein. Carmina Burana selecta. Würzburg 1879.

[3]) Muellenhof et Scherer, Denkmäler deutscher Poesie und Prosa aus dem 8.—12. Jahrhundert. Berlin 1892. p. 59. v. 29.

Caput III.

# De Ovidio praeceptore amoris.

Plurimi Carminum Buranorum auctores omnibus voluptatibus obsequentes vitaeque iucunditatum amantissimi Ovidii adulescentis naturae persimiles sunt. Studio autem Ovidianorum poematum in tanta illius cognitione eos defixos videmus, ut carmina respirent libidinem plane Ovidianam. Nihil fere novi, nihil fere proprii invenies, omnia sunt accommodata ad antiquiorum auctorum ingenium, imprimis Nasonis. Nihil fere ita legentis animum movet, ut verum, quo affectus sit poeta, casum depictum esse putet; — sunt hi poetae vere imitatores antiqui exempli, quippe qui et ipse totus sit in fictis amoribus describendis et facilibus hilarisque ludis. Conveniens autem ad hanc universam similitudinem est eorum ratio amorem percipiendi et describendi. Neque hac in re interest inter poetas Francogallicos, Germanicos, Britannicos, Italicos. Omnia haec discrimina sublata sunt; origo carminis pro certo non agnoscitur nisi latinis versibus alii inserti sunt, ut pauca proferam exempla: CB. 79 *Audi bela mia,* CB. 90 *Tort a vers mei dama,* CB. 81 *Perdo amicitiam de la se gentil . . . ,* CB. 112 *Floret silva undique, nah mine gesellen ist mir we . . . ,* CB. $90_b$ *Per dulcor,* CB. 196 *wafna wafna,* CB. CXCVIII$_5$ *schilling.*

Atque valde adamaverunt hi poetae imaginem, qua amorem cum militia, amatorem cum milite comparant — cf. CB. $31_2$ $35_2$ $37_7$ $79_2$ $107_3$ $115_4$ $143_1$ [1]) —. Quam ex

[1]) cf. cod. Paris. 3719 fol. $36^v$ ap. Du Mér. 1847, 233.

Ovidianorum carminum lectione suam fecerunt, in quibus usitatissima est. Nam ut acute id Ovidius (Am. I 9) adnotavit, omnia quae in bello aut post bellum aguntur, in amore etiam reperiri queunt.[1]) — cf. Ov. Am. I 9 *Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido*, Am. II 10,29 *Veneris certamina*, A. A. II233 *Militiae species amor est* —.[2]) Sed more illius saeculi allegorice interpretati sunt, sicut auctores CB. $79_2$ et $127_1$. Incertus autem quidam poeta octo versibus leoninis (CB. $116_b$), quos exscribere liceat, in hunc modum Amoris imaginem complexus est:

1 Est Amor alatus puer et levis, est pharetratus.
Ala recessurum demonstrat, tela cruentum,
Aetas amentem probat et ratione carentem,
Vulnificus pharetra signatur, mobilis ala.
5 Nudus formatur, quia nil est quo teneatur.
Mittit pentagonas nervo stridente sagittas,
Quod sunt quinque modi, quibus associamur amori:
8 Visus, colloquium, tactus, compar labiorum.

Prorsus speciem exercitationis umbratilis prae se fert hoc carmen, quo artifex omnia congessit, quae de habitu atque efficientia Amoris apud Ovidium legit. Primus enim versus conflatus est ex imitatione horum locorum: Ov. Am. I 10, 15 *et puer est et nudus* (cf. h. c. v. 5), A. A. II 19 *et levis est*, Met. X 525 *pharetratus puer*. Sequitur interpretatio allegorica v. 2—5.[3]) Priusquam autem

---

[1]) cf. Pichon, de sermone amatorio apud latin. elegiarum scriptores. Diss. Paris 1902 p. 21.

[2]) cf. CB. $65_{17}$.

[3]) Similis descriptio Amoris legitur apud Wright W. M. p. 26 v. 143 sqq.:

Hanc (i. e. Venerem) de more filius
suus comitatur,
nudus, caecus, puer est,
facies alatur. (!)
nudus, nam propositum
nequit sepelire;
caecus, quia ratio
nequit hunc lenire;

nos accingamus ad extremos versus explicandos, videamus, qui alii Carminum Buranorum auctores has imagines usurpaverint.

Legimus CB. $60_4$ *Amor volat undique,* $99_1$ *deus puerilis,* $128_3$ *Veneris iacula,* cf. $65_{25}$ $111_2$ $137_1$ $154_7$. Haec quidem per se sola non sufficere ad imitationem Ovidianam statuendam libenter concedo. Nam hae imagines ab omnibus poetis propere excipiuntur et usurpantur,[1]) Apertum autem imitationis exemplum occurrit Cb. $157_1$:

Fixus sum aureo  
figitur plumbeo  
florens virguncula.

Huic auctori ille Ovidianus locus obversatus est, quo alterum Cupidinis telum aureo cuspide amorem facere, alterum plumbeo fugare fingitur:

Eque sagittifera prompsit duo tela pharetra.  
Diversorum operum: fugat hoc, facit illud amorem.  
Quod facit, auratum est et cuspide fulget acuta;  
Quod fugat, obtusum est et habet sub harundine plumbum. (Met. I 468 sqq.)

Et stabilitur haec imitatio eo quod in str. 3. poeta Ovidii opus spectasse videtur, cum dicat:

Amans dum fallitur,  
Amor subvertitur,  
Merito dicitur  
Metamorphoseos.

Aureo se telo Cupidinis ictos esse asseverant poetae CB. $44_3$ $51_3$ $113_3$, et in cod. Paris. 3719 fol. 40r[2]) poeta quidam queritur:

---

puer, nam plus puero  
solet lascivire;  
alatus, dum facile  
solet praeterire.

1) cf. CB. $111_a$ *Venus schiuzet irn bolz.*

2) Du Mér. 1847, 234.

Amor amoris lancea
me vulneravit aurea;
mallem ego quod plumbea.

Quibus recensitis iuvat fusius agere de mira illa gradatione amoris, quam legimus in eo carmine, quod supra protuli. Eadem invenitur CB. $61_2$ [1]):

Volo tantum ludere,
id est [2]) contemplari,
praesens volo tangere,
tandem osculari,
quintum quod est agere
nolo suspicari,

et CB. $45_2$:

visu, colloquio
contactu, basio
frui virgo dederat,
sed aberat,
linea posterior
et melior
amori . . . ;

significatur etiam CB. $36_,$ $39_6$ $51_4$ $107_3$ [3]). Matthaeus Vindocinensis quoque in eo libro, quem de arte versificandi scripsit, qui sint gradus amoris repraesentat.[4]) Nam cum adulescentes docere velit, oportere res ordine quo gesta sit enarretur, ad amoris exemplum decurrit: *In actuali amoris exercitio praecedit intuitus (1), sequitur concupiscentia (2), accedit colloquium (3), blandimentum (4), adulterium (5) . . .*

---

[1]) cf. frg. Bur. 20 ap. W. Meyer in Abh. d. K. B. A. d. W. München 1882 et id. zwei mittellat. Lieder in Florenz. Firenze 1911 p. 163.

[2]) *id est* cod. Florent. (W. Meyer 1911, 163), *tantum* CB.: sed cum *ludere* versibus, quae sequuntur, explicetur, lectionem *id est* praeferemus.

[3]) Non recte igitur Laistner (Gaudeamus) scripsit *visus et colloquim*.

[4]) cf. Bourgain. L. Matthaei Vindocinensis Ars versificatoria. Diss. Paris. 1879. p, 62, cf. p. XLIX.

Unde hi gradus originem duxerunt? Utrum primum inveniuntur in Fecunda rate, quod est corpus proverbiorum saeculi XI. — sic statuit E. Voigt [1]) —, an sunt poetae amatorii Provinciae, qui eos finxerunt — ut Weinhold putat [2]) —? Immo ad antiquum originem possumus hunc locum communem referre. Legimus enim iam apud Terentium (Eun. v. 638 sqq.): *si non tangendi copia est, Eho, non videndi quidem erit? si illud non licet, Saltem hoc licebit: certe extrema linea Amare haud nihil est,* addente Donato: *quinque esse statuit lineas ad amoris perennitudinem: visum nempe, colloquium, tactum, osculum, coitum* . . . Terentio igitur et Donato hi poetae gradus debere potuerunt.[3]) Sed etiam Ovidius eos tangit (Met. X 342 sqq.) . . . *ut praesens spectem (1) Cinyram tangamque (2) loquarque (3) Osculaque (4) admoveam, si nil conceditur ultra (5)* et A. A. I 482 *Per numeros veniunt ista gradusque suos.* Quare in dubio esset, utrius auctoritatem spectaverint, nisi aliae accederent notae, quibus secundum Ovidium iudicare cogimur. Primum enim iam Matthaeus Vindocinensis hanc gradationem ad Ovidium revocavisse videtur, cum ad ea verba, quae supra attuli, addat Ov. A. A. I 482. Deinde aliud argumentum in promptu est, quod rem abunde satis demonstrat. Nam tria quae supra commemoravimus lasciva carmina alium prae se ferunt colorem Ovidianum. De CB. $116_b$ egimus,[4]) ad CB. 61 data occasione redibimus[5]), restat CB. 45. Quod nihil aliud est nisi imitatio soluta ac libera Ov. Am. I 5: puella amata paulisper tergiversata et reluctata superatur, et poeta praemio victoriae —

---

[1]) Z. f. d. A. 30,272:
Visus et alloquium, contactus et oscula amantum,
Postremo coitus, luctati clausula belli.

[2]) Die deutschen Frauen im MA. Wien 1897. I 270.

[3]) de Terentii quae medio aevo fuerit memoria cf. Manit. Phil. 25,546 sq.

[4]) p. 14.

[5]) p. 20.

extremo gradu — fruitur. Ad hanc argumenti similitudinem accedit etiam singularium locutionum consensus haud spernendus. Ex Ovidii enim Ep. IX quam supra[1]) iam tetigimus, manavit illud (str. 1) *de virgine contulit trophaeum;* illo enim loco de nympha dicitur *tulit de viro trophaea,* atque — hoc maxime memoratu dignum est — quasi poeta *praecepta Nasonis* sequeretur A. A. II 727 *ad metam properate simul* et ibid. 326 *sicco lacrimas conbibat ore tuas,* in str. 3. haec dicit: *ad metam propero.. flentis bibo lacrimas dulcissimas.* — Aliis quoque locis praecepta antiqui magistri accipi videmus. Nam quod Ovidius feminae de amore viro amato significando praecipit (A. A. III 675):

Spectet amabilius, suspiret ab imo
Femina . . .

Auctor cod. Helmst. 622 (fol. 170 v. 85) Thisben facit exsequentem, cum dicat:

Conticet et magna suspiria ducit ab imo
Pectori. —

Etiam in quarto gradu describendo duos poetas Ovidii vestigiis insistentes videmus. Auctor enim CB. 51, qui in str. 4 illos gradus significat, elocutionem *osculum sumere* ex Ovidio petivit, ubi legitur Am. I 4,63 sq. et A. A. I 664 et ibid. 669. Alibi nusquam repperi — praeter apud Propertium (I 3,16), qui quidem tum in latebris iacebat. Atque evidentiorem imitationem deprehendisse mihi videor in CB. $50_{29}$, cuius auctor haec scripsit:

. . . collo virginis
brachia iactavi,
mille dedi basia,
mille reportavi.

Quod argumentum tam manifesto consentit cum Ov. Am. II 18,9 sq.

Implicuitque suos circum mea colla lacertos,
Et quae me perdunt, oscula mille dedit,

---

[1]) p. 8.

ut huius loci ille memor fuisse videatur. Nam etiamsi rem non singularem et vocabula, quae his locis communia sunt, tritissima atque usitatissima esse patet, tamen vix casu fieri potuit, ut easdem voces uterque poeta in una eademque descriptione adhibuerit.

Iam ad ceteras imagines amatorias percensendas transgredientibus nobis ac quaerentibus, quas Ovidio hi poetae debeant, videtur ex usu rei esse nonnulla interponere. Nam cum apud omnes gentes omnium temporum unae et eaedem sententiae de amore resonent tamquam antiquissimorum temporum imago, necesse est poetae quoque saepenumero toti ex se eadem cogitent cogitataque scribant. Goethe in sermone cum Eckermann habito (I 90) haec ita pulcherime dixit: *Die Welt bleibt immer dieselbe, die Zustände wiederholen sich, das eine Volk lebt, liebt und empfindet wie das andere; warum sollte der eine Poet nicht wie der andere dichten . . . . ?* Neque quidquam magis potest esse perversum, quam ubicumque duorum poetarum similes quaedam sententiae reperiantur, ibi alterum praeisse, alterum imitatum esse confestim suspicari.[1]) Sed ut iam in priore capite tetigi, paulo secus res se habet cum poetis medii aevi latine scribentibus; qui a mente aque sua memoria repetunt verba, quibus quae sentiunt exprimant. Quae cum ita sint, apud eos singula vocabula maioris momenti sunt ad imitationem aliquam demonstrandam. Nihilominus iustum modum transgrederetur, qui omnem consensum verborum in simili sententiarum conexu ad imitationem referret. Idemque valet in multas significationes et imagines amatorias, quae tam simplices et apud cuiusvis aevi scriptores usitatae sunt, ut de imitatione non possit cogitari, veluti si amator puellae amatae oculis se captum esse contendit, aut si *ignis* vel *flamma* vel *error* pro *amore*, *ludere* pro *lascivire, libidinari* ponitur, aut si novus amor cum igni paene extincto novis viribus assumptis revivi-

---

[1]) cf. Baehrens praef. ad. Val. Flacc. p. V.

scente comparatur.[1]) Apertior imitatio agnoscitur in ea imagine, quam legimus CB. $116_3$ (cf. $40_6$):

tendit modo retia
puer pharetratus.

Quam si comparaveris cum Ov. Ep. XX 45 *retia .. tetendit amor* (cf. Ep. XXI 206 et Am. I 8, 69), unde petita sit, sponte apparebit.

Sed iam ad cetera nos vertamus. Miro quodam modo commovemur in his XII. saeculi carminibus legentes amori ne deos quidem neque superos neque inferos resistere posse. Haec non semper ad certos auctores persequi possumus (cf. CB. 61, $65_6$, CO. 28 [2]) v. 12 sq.). Sed legentibus CO. $18_3$:

Tu qui colla superum,
Cupido, suppeditas,
cur tuis me miserum
facibus sollicitas?

et conferentibus cum Ov. Rem. 530 *saevus Amor sub pede colla premit* et Ep. IX 12 [3]) *Venus .. humili sub pede colla tenet*, dubium esse nequit, quin haec imitatio Ovidiana sit luce clarior. Poeta medii aevi pro *sub pede premere, tenere* usurpavit *suppeditare*. Quae propria significatio ex inscriptionibus nota est.[4])

Hunc poetam libros Ovidii bene cognitos habuisse etiam inde apparet, quod pergit:

Elementa vicibus
qualitates variant,
dum nunc pigra nivibus,
nunc calorem pariant[5]),
sed mea singultibus
colla semper inhiant.

---

[1]) *Novus ignis* qui dem CB. $31_4$ (cf. $82_4$) in eodem sententiarum nexu legitur Ov. Fast. III 143: ver adest, *frondes sunt in honore novae* (v. 138), *novus ignis* urit poetam.

[2]) Mone, Die Lieder von St. Omer in Anz. f. K. d. d. Vorz. 1838 = CO.

[3]) cf. p. 8 et 18.

[4]) cf. Du Cange gloss. s. v.

[5]) variant cod.: correxi.

Evidenter enim ei is locus ob oculos versatus est, ubi Ovidius de elementorum invicem conversione loquitur et (Met. XV 237) *elementa vices agere* ait *semperque variare faciem.*

Cum amor tantum valeat, amantes de nimia eius potentia saepe queruntur[1]) atque obsecrant Amorem aut Venerem, ut sibi parcat. (cf. CB. $31_5$ *parce, puer, puero,* CB. $46_{10}$ *parce dato, pia Cypris, agone, et quia vincimur, arma repone,* CB. $154_9$ *subveni oranti, parce precanti,* CB. $155_3$ *parce, Venus, parce.*[2])

Amore autem tamquam gravi vehementique morbo afflictantur, cui frustra mederi conantur, cum nemo auxilium ferre possit nisi ipsa amata. (cf. CB $42_2$ [3]) $44_4$ $49_{11}$ $50_{10 \text{ et } 22}$ $102_4$ $109_5$ $126_2$ ). Hoc antiquissimun argumentum CB. $50_{10}$ sic expressum videmus:

. . . dulcissima,
cor mihi fatetur,
quod meus fert animus,
ut per te salvetur,
namque quondam didici,
sicut perhibetur,
quod ille qui percutit
melius medetur.

Haec non sine aliqua incitatione dicta esse apparet ex eis quae poeta ipse *quondam didici,* ait, *sicut perhibetur* . . . Sed ex quo autore didicit? Judicare non ausim. Legit enim et Ovidium, quod significatur verbis *fert animus* (cf. Met I 1 et 755) et ex eis, quae aliis locis[4]) ex-

---

[1]) cf. CB $50_{19}$ $125_5$ sqq. $154_3$ sqq.

[2]) Elocutionem *parce, precor* fortasse ab Ovidio mutuati sunt, apud quem permultis locis atque octies in initio versus invenitur.

[3]) Amare crucior, morior
vulnere, quo glorior.
Eia, si me sanare
uno vellet osculo,
quae cor felici iaculo
gaudet vulnerare!

[4]) p. 18 et 46.

plicavi, intellegetur, et versatus est in scriptura sacra, quod cognoscitur ex str. 1. (*Si linguis angelicis loquar et humanis . .)*, qua 1. Cor. 13, 1 imitatus est. Ille monet (Rem. 43 sq., cf. Am II 9, 7):

Discite sanari, per quam didicistis amare.
Una manus vobis vulnus opemque feret;

in hac Eliphas consolatur Hiob (c. 5 v. 18): . . *quia ipse* (sc. deus) *vulnerat et medetur, percutit, et manus eius sanabunt.*[1]) Quod sententiarum conexum attinet, Ovidii locum ei obversatum esse verisimilius est, sed cum altera ex parte hi poetae locos, quibus sensus prorsus diversus continetur, affere solent, quaestionem in suspenso relinquo. Iam vero poetas tali morbo, venereo [2]) correptos plus semel legimus caecos, stultos, insanos fieri — CB. $125_7$ *amens amans* elocutio Plautina est (Merc. prol. 81) — atque iamiam morituros videri (cf. CB. $104_2$ [3]) $118_5$ $155_6$ $160_3$ $165_2$). Hic morbus etiam faciem pallidam reddere solet, quare Ovidius dicit (A. A. I 729):

Palleat omnes amans! Hic est color aptus amanti,

et Met. IV 203:

palles: facit hunc amor iste colorem.

(cf. CB. 65, 9 et CO. $25_3$). Unus autem in his carminibus locus exstat, qui procul dubio ad Ovidium referendus est, dico versus CB. $44_6$

Est mihi pallor in ore,
est quia fallor amore.

---

[1]) Etiam Ov. Met. I 83 *finxit in effigiem deorum* libros sacros redolet, et Met. I 79 *ille opifex rerum, mundi melioris origo* a Lactantio divin. instit. II 5,2 Iovi oppositus est. Talibus versibus multi videntur commoti esse, ut Ovidium Christianum esse crederent. Notum quoque est multos locos Vergilianos, cum locis scripturae sacrae mirum in modum consentire, ut etiam Augustino Vergilius quasdam sententias ex libris sacris sumpsisse (de civ. d. I 21 c. 27,5) atque litteras sacras imitatus esse videatur (ibd. I 15 c. 19).

[2]) Omnes locos Ovidianos, qui huc pertinent, collegit Faral, Recherches sur les sources latines de Contes et Romans Courtois du moyen âge. Paris 1913. p. 135.

[3]) vulnera experior,
si non sanis, morior.

Legimus enim Met. II 755: *Pallor in ore sedet*.. Quamquam hoc dicitur de Invidia, tamen carminis Burani auctor, quem aliis quoque manifestissimis indiciis in Ovidii carminibus penitus versatum fuisse evincitur, horum verborum recordatum esse eo facilius credi potest, quod initium hexametri sunt et Trist. III 9,18 repetuntur.

Priusquam hanc disputationis partem absolvamus, res ipsa videtur postulare, ut statim, quatenus in laudibus Bacchi quasi Veneris adjutoris et socii [1]) auctores Carminum Buranorum pendeant ab Ovidio, examinemus. Sed unum tantum repperi carmen, cuius auctor manifesto imitatus est locum Ovidianum. Nam CB. $178_5$ sqq. legimus:

5. Bacchus forte superans
pectora virorum
in amorem concitat
animos eorum.

6. Bacchus saepe visitans
mulierum genus
facit eas subditas
tibi, o tu Venus.

7. Bacchus venas penetrans
calido liquore
facit eas igneas
Veneris ardore.

8. Bacchus lenis leniens
curas et dolores
confert iocum, gaudia,
risus et amores.[2])

11. Bacchus numen faciens
hominem iucundum
reddit eum pariter
doctum et facundum.

---

[1]) Wright W. M. p. 171 v. 15 *Bacchus Veneris verna*.

[2]) str. 9 et 10 sunt additamenta.

Hae strophae nihil aliud sunt nisi artificiosa retractatio rhythmica horum versuum Ovidianorum (A. A. I 237 sqq.:

Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,
Cura fugit multo diluiturque mero.
Tunc veniunt risus, tum pauper cornua sumit,[1])
Tum dolor et curae rugaque frontis abit.
Tunc aperit mentes aevo rarissima nostro
Simplicitas, artes excutiente deo.

Utrum auctor huius carminis Ovidium ipsum an florilegium quoddam secutus sit, pro certo affirmari non potest, cum Ov. A. A. I 237 inveniatur etiam in cod. Herdring.[2]) et A. A. I 237—240 in floril. Gotting.[3]) Utique locus in cod. Herdring. manifesto ad Ovidium ipsum redit; nam str. 11 legitur:

Bacchus est fons totius gaudii,
Bacchus semper vult tempus otii,
Bacchus levat pondus supplicii
Iuxta versus[4]) istos Ovidii:
Vina parant animos faciuntque coloribus aptos.

[1]) cf. Archip. c. VII 9,3 (ed. Manitius): *Scimus.. sumpsisse cornua multos populorum.*

[2]) fol. 39 v. 45, Z. f. d. A. 49, 21 (in altercatione vini et cerevisiae).

[3]) Rom. Forsch. III. 295.

[4]) versos cod.

## Caput IV.

# De Ovidio fabularum auctore.

Praeter Venerem et Bacchum Carmina Burana tibi evolventi totus occurrit deorum, numinum heroumque apparatus ex antiquis poetis notissimus:

Achelous $38_{4}$
Acheron $CLI_{11}$
Achilles $65_{56}$
Actaeon $39_{1 \text{ et } a}$
Adonis $39_{4}$ $65_{35}$
Aeacides $CLIII_{4}$
Aeolus $41_{4}$
Alcides $38_{6}$
Amazones $38_{a}$
Antaeus $38_{5}$
Apollo (Phoebus) $31_{1}$ $33_{6}$ $36_{11}$ $41_{1}$ $44_{1}$ $115_{3}$ 122 $168_{5}$ $CLXXII_{17}$
Argus $43_{5}$
Atlas $38_{2}$
Atrides $CLII_{23}$ $CLXXI_{1}$
Atropos $35_{7}$
Bacchus $65_{70}$ $124_{3}$ $174_{2,19}$ $175_{2}$ $176_{2}$ $177_{1}$ $178_{1,5,12}$ $178_{a}$ $179_{6}$ $181_{2}$ $182_{4,8}$ $189_{1}$
Boreas $174_{23}$
Cacus $38_{3}$
Calliope $34_{6}$
Celaeno $CLI_{2}$

Cerberus $38_{a}$ $XCIV_{3}$
Ceres $32_{5}$ $65_{29}$
Charybdis $XVIII_{4,7}$
Chronos $41_{1}$
Clotho $174_{17}$
Cupido $35_{13}$
Cybele $44_{1}$
Cypris $35_{12}$ $36_{3}$ $154_{5}$
Danae $56_{5}$ $168_{3}$
Daphne $31_{5}$ $115_{3}$ $160_{2}$
Delius $39_{4}$ $161_{2}$
Diana $XI_{5}$ $37_{1}$
Dido $34_{3}$ $CXLIX_{1}$ $CL_{2\ sqq.}$
Dionysius $89_{9}$
Dryades $46_{3}$ $47_{3}$ $124_{1}$ $161_{2}$
Erichtheus $39_{a}$
Euphrosyne $39_{2}$
Europa $56_{5}$ $115_{3}$ $168_{3}$
Euryale $39_{2}$
Eurydice $154_{3}$
Faunus $XXX_{5}$ $31_{2}$ $33_{2}$ $65_{69\ 70}$
Favonius $35_{13}$ $103_{1}$ $164_{1}$
Furiae $187_{10}$
Ganymedes $65_{31}$ $CXCIX_{8}$
Geryon $38_{3\ et\ a}$
Gorgo $CXCIV_{12}$
Gratiae $65_{73}$
Hamadryades $XXX_{5}$
Hecuba $LXXVII_{3}$ $CLII_{19}$
Helena $50_{8,14}$ $105_{3}$ 117 $CL_{1}$ $162_{1}$
Hercules $38_{1}$ 117
Hippolytus $139_{4}$ $CLXXII_{12}$
Ianus $31_{1}$
Iole $38_{1}$
Iris $118_{3}$
Itys $33_{1}$
Iuno $32_{7}$ $33_{2}$ $34_{6}$ $66_{6}$ $115_{2}$ 117

Iupiter XIX$_{19}$ 33$_{1,2}$ 36$_{25}$ 41$_{1,4}$ 46$_{1}$ 47$_{2}$ 49$_{18}$ 56$_{5}$ 61$_{6}$ 115$_{2}$ 139$_{1}$ CXLIX$_{5}$ 154$_{4}$ 167$_{2}$ 168$_{3}$ 174$_{7,19}$ 181$_{4}$
Lamia 35$_{12}$
Liber 179$_{6}$
Lyaeus 65$_{23}$ 146$_{6}$ 173$_{a}$
Manes XXX,
Mars 115$_{2}$ 142$_{2}$ 168$_{5}$ 184$_{2}$
Mercurius 41$_{1}$ 61$_{9}$ 65$_{54}$ 143$_{4}$
Minerva 39$_{7}$ 65$_{57}$
Morpheus 37$_{3}$
Mulciber 65$_{56}$
Musa 108$_{1}$ 154$_{3}$ 168$_{3}$
Myrrha 65$_{16,66}$
Naiades 52$_{3}$
Narcissus 33$_{2}$ 65$_{57}$
Neptunus 61$_{6}$ 65$_{45,47,48}$ 124$_{3}$
Nessus 38$_{3}$
Nympha XXX$_{5}$ 65$_{69}$ 120$_{2}$
Oreades 47$_{3}$
Orpheus 33$_{2}$ XCIV$_{3}$
Pallas 31$_{2}$ 34$_{5}$ 117
Paris 39$_{3}$ 49$_{10}$ 65$_{12}$ 105$_{3}$ 106$_{3}$ 110$_{6}$ CL 154$_{5}$ 162$_{1}$
Pasithea 39$_{2}$
Penates XXX$_{5}$
Peneis 36$_{11}$
Pierides 36$_{1}$
Pleiades 98$_{2}$
Pluto XCIV$_{1}$ CXCVII$_{4}$
Plutus XCIX$_{1}$
Priamides 36$_{13}$
Proserpina 32$_{5}$
Proteus XCIV$_{3}$ CLXX$_{1}$ CLXXI$_{6}$
Pylades CLXX$_{1}$
Saturnus 41$_{1}$ XCIX$_{2}$
Satyri XXX$_{5}$ 46$_{3}$ 47$_{3}$ 65$_{69}$
Scylla XVIII$_{4,5}$ CXLIX$_{4}$ CLI$_{2}$ 160$_{1}$
Semele 44$_{1}$

Sibylla $125_{9}$
Silenus $65_{70}$
Sirenae $XVIII_{6,10}$ $XXX_{5}$ $49_{2}$
Sirius $35_{16}$
Stilbon $43_{6}$
Tereus $33_{1}$ $44_{1}$ $125_{8}$
Thais $XXXIII_{5}$ $CXCIX_{7}$
Thetis $32_{5}$ $173_{a}$
Tiresias $CXCIV_{12}$
Ulixes $CXCIV_{7}$
Vulcanus $65_{55}$ $115_{2}$

Non minus Romanorum ingenii imitatio perspicua est, si loca contemplamur:

Aetna $35_{16}$
Baiae $CXCIX_{2}$
Cumae $CXCIX_{7}$
Dodona $82_{3}$
Elysium $CL_{20}$
Helicon $CLII_{2}$
Hybla $82_{3}$
Karthago $LXXV_{3}$ $CXLIX_{6}$ $CL_{2}$
Latium $CXLIX_{1}$
Libya $CL_{16}$
Maenalus $35_{16}$
Pergama $CLII_{1}$
Pontus $XXVI_{4}$ $35_{16}$
Roma $XIX_{4\,sqq.}$ $XX_{1}$ $XXI_{a}$ $XXIX_{5}$
Tempe $47_{3}$
Troia $LXXV_{3}$ $CXCIX_{1,7}$
Tyrus $XXV_{6}$ $XXVI_{4}$

Atque etiam nomina feminarum amatarum plerumque ex antiquis poetis desumpta sunt. Assidue enim recurrunt:

Corinna $126_{2}$ $154_{8}$
Flora $34_{5}$ $47_{1}$ $52_{5}$ $56_{2}$ $65_{1}$ $101_{2}$ 147
Florula $154_{2}$
Glycerium $35_{5}$ $CXCIX_{9}$
Lycoris $38_{8}$

Niobe CO. $21_{4}$
Phyllis $34_{5}$ $57_{1}$ $65_{1}$ $118_{5}$
Thisbe $43_{1}$
Thyndaris $36_{10}$

Vel ex hoc ingenti nominum numero, qui aliis eiusdem aetatis carminibus facile augetur, hos poetas in magna antiquorum cognitione defixos fuisse apparet. Atque ad tantam consuetudinem studio et lectione veterum poematum processerunt, ut res praesentes iisdem fere coloribus depingerent, quibus veteres. Qua in re accidit, ut sententias christianas et gentiles in unum confunderent, veluti ut unum idque lepidissimum huius rei exemplum proferam, Archipoeta:

vita vetus displicet,
mores placent novi,
homo videt faciem,
sed cor patet Iovi [1])! (CB. $CLXXII_{22}$)

Non aliter Ovidius Romanas res cum Graecis miscuit.

Maximi autem momenti ad haec carmina recte intellegenda fabulae sunt, quas passim respectas videmus.

Atque sicut in elegiis Romanis et Alexandrinis amatoriae fabulae longe praevalent, sic quoque hi poetae imprimis id genus ad usum suum accommodaverunt. Circumspicientibus autem nobis, cuius hac in re aemuli sint, sponte se offert Ovidius. *Pascentem fabulis turbas Ovidium* Golias in Apocalypsi quae vocatur [2]) antiquum poetam appellat. Hunc secuti afferunt fabulas fabulosaque nomina ad res exornandas et condiciones suas illustrandas, id potissimum spectantes, ut hoc poetico colore adhibito audientium animos obstupefaciant simulque ut copiosam suam doctrinam ostententent, antiqui poetae similes, qui nullam laudem diligentius studiosiusque appetebat quam doctrinae. Neque enim eam proferre possunt causam, quam ille, scilicet se blandiendi causa

---

[1]) Extremus versus sic legendus est cum ceteris omnibus codicibus.

[2]) W. M. p. 5 v. 47.

amicam cum deabus feminisque fabulosis comparare, quoniam haec latinae linguae imperita est. Denique imitantur Nasonem idque *non surripiendi causa,* ut Senecae verbis utar, *sed palam imitandi hoc animo, ut vellent agnosci.* Proprium autem est horum poetarum, quod fere fabulas additamentis supervacaneis omissis sententiarum conexui inserunt neque verbosam illam Ovidii narrandi rationem sequuntur.

Ac primum quidem secuti illud Vergilianum *ab Iove principium* (Ecl. III 60) afferamus ea, quae ad Iovem pertinent. Carminis 168 auctor puellae amatae se nunquam fidem esse violaturum iurat et alios multos et Iovem contestans,

qui pro Danae sumpsit auri,
pro Europa formam tauri.

Ac fabulam Danaes Acrisii Argivorum recis filiae, a patre inclusae in turrim, in quam Iupiter in imbrem aureum conversus ingressus est, antiqui poetae multis locis narraverunt[1]). Accedit quod sexto saeculo Lactantius Placidus Metamorphoseon summaria edidit, quae singulas fabulas in breve ac prosa oratione coactas praebebant.[2]) Quae cum omnia discipuli in scholis assidue versarent, nihil esset, cur ex ipso Ovidio hanc fabulam defluxisse arbitremur, nisi ratio, qua exornationis causa adhibetur, prorsus esset Ovidiana. Etsi non certus quidam locus huic auctori obversatus est, tamen similis exornatio in simili sententiarum nexu legitur Ov. Am. I 3 (v. 16 *tu mihi, si qua fides, cura perennis eris.*)[3])

---

[1]) cf. (Serv. ad) Verg. VII 372; Hor. c. III 16, 1 sqq; Ov. Met. IV 697 sqq. V 11, Am. II 19, 27 sqq., III 4, 21. A. A. III 631 sqq.

[2]) in Mythogr. lat. ed. A. van Staveren. Leiden 1742, cf. Sudre l. c. p. 5.

[3]) cf. Annal. hymn. 21, 126:

Iupiter dum orat
Danen, frustra laborat,
sed eam deflorat,
auro dum se colorat.

De Agenoris autem infelici filia, quam Iupiter in taurum versus fraudulenter per mare abduxit, Ovidius Met. II 836 sqq. et Fast. V 603 sqq. fuse lateque fabulatus est (cf. Ep. IV 55 sq.). Ad illustrandam Veneris vim haec fabula affertur CB. $115_3$:

Europactauro luditur.

Et in *Apocalypsi Goliae episcopi,*[1]) legimus v. 276 sqq., ubi presbyter *in meretriculae descendens insulam* comparatur cum Iove:

sic fecit Iupiter,
qui iuxta fabulam
coelum deseruit
sequendo vitulam.

Tertiam Iovis fraudem invenimus coniunctam cum duabus prioribus CB. $56_5$, quod carmen dilectae venustate atque gratiae praedicata sic finitur:

O si forte Iupiter hanc videat,
timeo ne pariter incaleat,
et ad fraudes redeat,
sive Danaen pluens aurum
imbre dulci mulceat,
vel Europes intret taurum,
vel Ledaeo candeat
rursus in olore.

Simili modo Ovidius amicam cum Lede comparans (Am. I 10,3 sqq.) *aquilam* exclamat

*in te taurumque timebam*
*et quidquid magno de Iove fecit amor.*[2])

Argumentum igitur idem est eademque coacervatio, sed libere digressus ab antiquo auctore poeta medii aevi proprium colorem obduxit. A nostro nimirum ingenio eiusmodi jactatio antiquae doctrinae ad exornanda carmina abhorret, huic autem aetati egregie placuit, quia hoc

[1]) W. M. p. 14.

[2]) cf. Am. I 3,22 III 12,33, Ep. XVI 55 sqq.

carmen etiam traditum est in cod. Arundel.[1]) et in cod Christin.[2]) [3])

Idem argumentum alia fabula illustratum legimus. CB. 31,5: *Fave Venus..ne sit Daphne Phoebo.* Hanc fabulam Daphnis Apollinis amorem aspernantis, quam Ovidius Met. I 452 sqq. narrat, alter poeta ab amata puella repudiatus ita in suam rem convertit (CB. $160_2$):

Delium flagrantem,
procantem,
anhelantem,
Daphne respuit,
renuit,
puduit
amplexari:
mihi refragari
nititur,
quae petitur.

Quam exornationem alii exemplo mythologico annexuit (str. 1), quo quasi Glaucum a Scylla spretum se finxit (cf. Ov. Met. XIV 1 sqq.).

Ad Amoris vim demonstrandam haec fabula commemoratur CB. $115_3$:

Phoebus Daphnen sequitur.

Denique auctor carminis 36 cum Phoebo Daphnes pulchritudine inflammato se comparavit (str. 11):

Apollo mire vinctus est
Peneide respecta,
sic meus amor tinctus est
re veteri deiecta.

---

1) W. Meyer, Die Arundelsammlung mittellat. Lieder in: Abh. d. K. G. d. W. zu Götting. N. F. XI, 2 1908. nr. 8 = Wright Early mysteries and other latin poems of the 12th and 13th centuries. 1843. p. 14. Hunc codicem in afferendo secutus sunt, cum cod. Bur. textum depravatum praebeat: *vel et haec congaudeat rursus in olere.*

2) cf. Giesebrecht l. c. p. 362 et Hubatsch l. c. p. 146.

3) Alia fabula ad Jovem spectans in CO. 28 significatur (v. 18 sq.) *tumuit et puduit in fonte Nonacrina* (nonagrina cd.); fabula est nymphae illius a Jove gravidae factae, cuius dedecus aliquantisper dissimulatum fonte patefactum est; cf. Ov. Met. II 409 sqq.

Qui poeta carmina Ovidiana cognita habuisse videtur melius philologo quodam nostrae memoriae, Wustmann, qui esse Peneidem negat et *Perseide* legendum esse contendit.[1]) Sed fugit hunc virum doctum Daphnen filiam Penei esse praeteritque versus Ov. Met. I 472: *Hoc* (sc. telum plumbeum) *deus in nympha Peneide fixit.*

Iam transeamus ad Martis et Veneris adulterium, quod quam in deliciis Ovidius habuerit, inde apparet quod compluribus locis affert (cf. Am. I 9,40 sq. A. A. II 561 sqq. Met. IV 169 sqq.); adque hoc exemplo Martis et Veneris a Vulcano in stupro compertorum monet, ut cautiores sint, qui vetito amore fruuntur. Nimirum haec vitiositas et petulantia poetis duodecimi saeculi non displicuit: noli dubitare adulterium inire, dummodo rem celes! Sic CB. $43_6$ amans amatae puellae dubitationes demere conatur, cum dicat:

Times in vanum,
tam est arcanum,
quod nec Vulcanum
curo cum sophisticis
catenis.

Et auctor carminis 83 libere admonet (str. 1):

Cautius ama,
ne comperiatur;
quod agis,
age tenebris,

tecte significans fabulam deprehensi Martis (str. 2):

Nulla notavit
te turpis tabula,
dum nos ligavit
amoris copula.

Eadem perstringitur CB. $115_2$:

Mars a Vulcano capitur
re artificali.

---

[1]) Z. f. d. A. 35, 340.

In cod. Dresd. A 167 s. XII/XIII. fol. 37v sqq.[1]) hanc fabulam artifex in clipeum pinxit, ut spectes *subridere deos ad factum turpe vocatos.*

Mulciber illatam referens de Marte quaerelam
Vindictam poscit, simul et scelus iudice prodit,
Et de subtili mirantur et pede capti —

Eodem argumento Golias episcopus usus est in Metamorphosi quae dicitur,[2]) ubi Vulcanus *Gradivi vincula et suae Dionis* in parietem regiae pinxisse fingitur.[3])

Luculentissima autem huius fabulae significatio continetur CB. 156, quamquam nomina non memorantur. Huic enim poetae per quietem apparet Amor *perturbatus habituque disturbatus,* qui cur tam maestum vultum prae se ferat quaesitus, tristem se esse respondet, quia praecepta ab Ovidio de amore data neglegantur, quia abierit pudor, quia non iam tacenda celentur. Atque externam, ut ita dicam, speciem poeta ex Ov. A. A. I 43 sqq. mutuatus est, ubi praeceptor ille amoris a *Cytherea docere* se iussum esse finxit.[4]) Argumentum autem ex Ov. Am. II 561 sqq. desumpsit, quem locum supra [5]) attuli; nam non solum singulae sententiae, verum etiam toti versus inter se respondent. Versum enim A. A. II 607

Praecipue Cytherea iubet sua sacra taceri

integrum suscepit poeta auctoritatis quae dicitur loco (str. 9 v. 7). Has autem auctoritates leniter immutavit:

qui sibi notus erit, docuit sapienter amare
(str. 8 v. 7)

et str. 10 v. 7

e heu, nocturnis titulos imponimus actis;

ille enim versus apud Ovidium legitur ita (A. A. II 501):

Qui sibi notus erit, solus sapienter amabit,

---

[1]) ed. M. Manitius Rom. Forsch. VI p. 4 sqq. — v. 70 sqq.

[2]) W. M. p. 22 v. 48.

[3]) cf. infra p. 56, not. 3.

[4]) v. 44 *et ante oculos constitit ipsa meos.*

[5]) p. 33.

hic (A. A. II 625):

At nunc nocturnis . .;

sed haec immutatio necessaria fuit, quod in hac stropha versui *at nunc* . . nihil opponitur, illa, quia Ovidii versus non consonat cum extremis antecedentis versus syllabis. Ars autem et ingenium poetae dilucide in eo conspicitur quod ex versibus heroicis fecit rythmicos. Nam Ov. A. A. II 609 sqq.

Condita si non sunt Veneris mysteria cistis,

. . . . . . . .

Attamen inter nos medio versantur in usu . .

mutavit in (str. 9):

Veneris mysteria
iam non occultantur
cistis, et exposita
coram praesentantur.

Etiam singula verba ex Ovidio desumpta sunt:

corporibus non tactis (10,6)

in eodem sententiarum conexu est atque apud Ovidium (A. A. II 634) *non tacto corpore.*

Periere Cupidinis arcus (6,7)

est dimidia pars hexametri Ovidiani Rem. 139.

Evanuit virtus (6,6)

repetitur Met. XIV 356.[1])

Denique versus (11,7)

tanta meum populo ius est ad damna redactum

sine respectu Ov. A. A. II 624

tanta rudi populo iura pudoris erant

non potuit pangi.

Pergentes in perlustrandis fabulis, quibus hi poetae Nasonis auctoritatem videntur spectasse, incurrimus in Heraclis fabulam, cuius argumento tragicae gravitatis pleno auctor CB. 38 allectus est.[2]) Non unum secutus

---

[1]) Versus in CB. corruptus est; conicio *pudor fit iam parcus* cf. CB. LXVII1 .

[2]) Traditum est hoc carmen etiam in cod. Laurent. 29,1 fol. 417a et legitur Anal. hymn. 21, 154.

est auctorem in singulis aerumnis, quas affert, sed in omnibus poetis, qui hanc fabulam tractaverunt, versatum videmus.[1]) Ordo quoque liberrimus est. Sed ratio, qua poeta rerum gestarum magnitudinem illius viri heroica virtute insignis opposuit tristissimo fini a femina effecto prorsus respondet ei rationi, qua Ovidius utitur in Ep. IX, qua Deianiram miserabile valedicentem fecit marito. Uterque enim poeta compluribus laboribus memoratis iterum atque iterum amorem accusat, cui ille vir post tanta facta succubuerit. Nolo de singulis fusius disputare, sed hoc memoratu dignum est, quod hic poeta fabulam malorum Hesperidarum duplicem videtur traditam accepisse. Etenim legimus in str. 2:

Vir, qui maior superis
caelum tulit humeris
Atlante fatigato.

et in str. 4:

Iugo cessit tenero,
somno qui letifero
horti custodem divitis
implicuit.

Quam confusionem antiquissimam esse inde apparet, quod ad Soph. Trach. 1099 sq. τόν τε χρυσέων δράκοντα μήλων φύλακ' ἐπ' ἐσχάτοις τόποις ⟨κατειργάσατο⟩ scholiasta adnotavit φασὶ τὸν Ἄτλαντα τῷ Ἡρακλεῖ κεκομικέναι τὰ μῆλα, ὅτε καὶ αὐτὸν διαδεξάμενος τὸν οὐρανὸν ἐβάστασεν, quod a Sophoclis mente alienum fuisse manifestum est. Quare hunc quoque poetam doctrinam suam ex commentario quodam supplevisse opinor; magnopere autem doleo quod mihi adhuc nondum contigit, ut aliquid certi eruerem; sed etiam Faral[2]) compluribus locis fuisse commentarium quoddam coniecit. — Non nimirum sua ipsius causa hanc fabulam explicavit, sed ut Heraclis miseram sortem ante oculos

---

[1]) cf. Verg. Aen. VI 801 sqq. VIII 185 sqq.; Ov. Met. IX 183 sqq. Ep. IX; Auson. Idyll. XIX = CB. 38a ; Claudian. Rapt. Pros. II.

[2]) l. c. p. 15 et 75; cf. Knaack Anal. *Alexandrino-Romana*. Gryph. 1880 p. 54.

habens Lycoridem suam — hoc nomen celeberrimae Galli inflammatricis dedit amicae[1]) — fugiat iubeatque valere. Nam, ait, melius est fugere,

sic Venus vincitur,
dum fugitur,
fugatur. (str. 7)

Hoc quoque argumentum praeceptori amoris debet, qui A. A. II 197 commonet:

Cede repugnanti, cedendo victor abibis

et Rem. 119:

Cum furor in cursu est, currenti cede furori.

Quod praeceptum etiam legitur CB. $IX_3$:

resistens vincitur
in hoc belli genere,
et qui novit cedere
fugiendo, fugitur.

Persuasum habeo hoc carmen cum illo — CB. 38 — aliqua cognatione coniunctum esse et si non ab eodem auctore, tamen certe ex eodem circulo profectum esse; nam praeter idem argumentum in hoc quoque carmine duo Heraclis labores attinguntur. Sunt quidem in alio sententiarum conexu, sed commemorantur ad illud Ovidianum (Rem. 731 sqq.) illustrandum repressam flammam amoris redardescere maiore vi, nisi plane extincta sit (str. 2). Fabula est Hydrae, quae cum Heracles ei unum abscidisset caput, continuo aliis septem augebatur, et Antaei, Neptuni ex Terra filii, qui cum Heracle congressus, quotiens membra defessa erant, tactu terrae recreabatur:

..nihil proficis,
dum ad tempus deficis,
nam insurget arctius
Hydra multiplicior,

[1]) cf. Verg. Ecl. 10; Ov. Am. I 15,29 sq., A. A. III 537, Trist. II 445.

et post casum fortior
surget Terrae filius.[1])

Huic fabulae adiungo fabulam Pyrami et Thisbes atque fabulam Orphei et Eurydices, medii aevi temporibus πολυθρύλητα παραδείγματα amoris.

Erat autem illa fabula ad sensum popularem vulgaremque eius aetatis adeo accommodata, ut etiam artificibus invitamento esset. Sculptam enim habemus eam in aedis cathedralis Basiliensis columna, quae est ex ineunte saeculo XII.[2])

Auctori quoque CB. 43 ad conditionem suam illustrandam materiam praebuit fabula. Qui alter Pyramus puellae, cui nomen Thisbe dedit, amore captus, se quo magis desiderium opprimat, eo ardentiore uri flamma gemit amatamque blande rogat, ut ad Veneris gaudia fruenda secum conveniat. Et contingit ei, ut puellae sollicitudines demat. Huic argumento, quod quasi fundamentum carminis est, alterum inseruit; amicam enim opponentem facit se domi severius tamquam ab Argo custodiri, quae poeta diluit, cum ut Mercurium se interempturum esse consopitum Argum polliceatur.

---

1) cf. W. M. p. 128 v. 735 sqq.:

Hercules,
qui tot miracula
fecisse legitur,
quem docet fabula
veras astrigeras
fulcisse scapula.

2) cf. Piper, Mythol. u. Symbol. d. christl. Kunst von der ältesten Zeit bis ins 16. Jahrh. Weimar 1847. I 408.

Bartsch l. c. p. LVI, G. Paris Liter. Fr. p. 79.

Dernedde, Über die den altfranz. Dichtern bekannten epischen Stoffe aus dem Altertum. p. 113.

Harth, Ursprung u. Verbreitung der Pyramus- und Thisbe-Sage. Diss. München 1889 p. 6.

Faral l. c. p. 5 sqq.

Etiam cod. Helmst. 622 fol. 168—180 duo poemata elegiaca conservavit, quibus fabula secundum Ov. Met. IV 55 sqq. narratur.

Quin hoc carmen a quarto Metamorphoseon libro, in quo Ovidius fabulam Pyrami et Thisbes narravit, originem duxerit, dubium esse nequit, cum complures sint in hoc carmine loci, qui Nasonis res quasi ad verbum reddant. Virgo enim *prae puellis praelucet* (str. 1), apud Ovidium est *praelata puellis* (v. 56); *sub umbrosa arbore* (str. 1) idem est ac *sub umbra arboris* (v. 88/9).

Item hos duo locos conferre licet:

quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis (v. 64)

et

ignem caecum sub pectore
longo depasco tempore,
qui vires miro robore
toto diffundit corpore (str. 2),

qua in re rursus artem admirari possumus, qua ex heroicis versibus rhythmici facti sunt.

Apparet igitur in hac fabula adhibenda poetam ductum esse exemplo Nasonis; neque minus manifestum est Argi quoque fabulam eum ex ipso Ovidio sumpsisse, cum non modo fabulam ipsam noverit, quam ille Met. I 624 sqq. copiose narravit, sed etiam intentum custodem puellae ab Ovidio cum Argo centum oculis instructum comparari haud ignoret (cf. Am. III 4,1 sqq., A. A. IV 617 sq.) [1])

Difficilius vero diiudicatu est, num in fabula Orphei et Eurydices commemoranda auctor CB. 154 certam spectet auctoritatem, cum obiter dumtaxat ad suam condicionem illustrandam afferat (str. 3):

---

[1]) Argi fabula in diverso sententiarum nexu commemoratur in carmine cod. Laurent. 29,1 (Anal. hymn. 21,143), ubi de praelatorum Romanorum avaritia agitur, qui cum Argo et Briareo comparantur:

Argus circa loculos
centum gyrat oculos,
Briareus sacculos
centum tollit manibus.

Sed hic poeta mythologiam potius ex Vergilio et Servio (ad. Aen. VI 287) cognovisse videtur, cum Ovidius eo loco, quo Briareum commemorat, nihil de centum eius bracchiis dicat.

rauca precatur,
suae redatur
vates Eurydici.

Quam fabulam et Ovidius (Met. X 1—85 et XI 1—66) et Vergilius (Ge. 453 sqq.) narraverunt, sed in eo inter se differunt, quod Ovidius Eurydicen, cum libidinosum Aristaeum fugeret, serpentem calce percussisse omisit, sed altera ex parte verbosiorem inferorum descriptionem praebuit, ex qua diversitate artificem cuiusdam carminis, quod exstat in cod. Florent.[2]), Vergilii, alterum[3]) Ovidii vestigiis insistere colligi potest. Tamen ut huic poetae potius Nasonis fabulam obversatam esse suspicer, vel maxime eo adducor, quod totum carmen sermonem redolet Ovidianum et initium manifestam imitationem Ovidianam esse data occasione ostendam.[4]) Insuper notandum est Orpheum quasi exemplum citharoedi commemorari CB. $33_2$ *Orpheus plectiger* et apud Wright W. M. p. 129 v. 750:

Vatis Threicii
si lyram tangerem,
non sine meritis
notam incurrerem.[5])

Denique absolvamus hanc eroticarum fabularum seriem fabula Terei, Philomelae — in CB. legitur semper Philomene —, Procnes prolata, quae multis locis idque praecipue in naturae descriptionibus commemoratur (cf. CB. $33_1$ $44_1$ $55_3$ $108_1$ $125_8$). Sed vix diudicare ausim, cuius vestigia ii poetae, qui eam proferunt, presserint, cum generatim et summatim de ea loquantur; accedit quod non solum ab antiquis, sed etiam medii aevi poetis tractata est. Nam supra iam Ovidii nomine et alia multa

---

[2]) W. Meyer Firenze 1911.

[3]) id., Die Oxforder Gedichte des Primas. Gött. Nachr. 1907, 120. De Francogallica huius fabulae imitatione cf. Sudre l. c. p. 57 sqq.

[4]) p. 53 sq.

[5]) *Threicius vates* legitur Ov. Met. XI 2, *Rhodopeius heros* in cod. Tur. 58/275 (Werner l. c. p. 49) ex Ov. Met. X 50, *lyra Threicia* in cod. Paris. 3719 (Du Méril 1847, 233) ex Ov. Ep. 318 sumptum est.

et *elegiam de Philomela* ferri cognovimus.[1]) Et ferebatur duplex. Altera enim Albio Ovidio Iuventino[2]), altera Iulio sperato vindicatur.[3]) Hoc quidem constat unum poetam (CB. 125 *Tereus haeret in Philomena*) Ovidium legisse, cum elocutio *haereo in aliqua* tantum Ov. Met. II 410 legatur; et quomodo Christianus Tricassinus (ca. 1162) Ovidio exemplari usus[4]) hanc fabulam expresserit docet Sudre.[5]) Concedendum igitur est ceteros quoque poetas posse insistere vestigiis antiqui poetae.

Transeo ad nonnullas fabulas, quae ad avaritiam illustrandam inducuntur. Nam in querelis quoque de malo mundi statu habitis, quod argumentum omnibus temporibus commune[6]) ea ipsa aetate a permultis scriptoribus tractabatur, Ovidium, quem tanto amore amplexi sunt, non praeterierunt. Ex uno autem imprimis loco Ovidiano huc spectante — Fast. I 160 sqq. — complures poetae sententias hauserunt.[7]) — Eiusdem loci, quo poetae quaerenti, quid sibi velint munera initio anni data, a Iano ominis causa dari respondetur, sed abiisse illud tempus locupletium munerum *Saturno regnante* (v. 193), cum *furiosa cupido* (v. 211) creverit, eiusdem, inquam, loci auctor quoque CB. CXCIX[8]) memorem se praesitisse videtur, cum periisse morem antiquum queratur (str. 2) addatque:

non Saturnus regnat nunc,
immo Plutus iniquus.

---

[1]) p. 3.

[2]) Wernsdorf, P. L. M. Helmstaedt 1794. VI 2 p. 385.

[3]) cf. Goldast l. c. p. 71 sqq.

[4]) Met. VI 422 sqq., cf. Am. II 6, 10, A. A. II 14, 30, Fast. II 629, IV 481 sq., Trist. V 1, 60.

[5]) l. c. p. 35.

[6]) cf. Sen. de benef. I 10: *Hoc maiores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas et omne nefas labi: at ista eodem stant loco stabuntque, paulum dumtaxat ultra aut citra mota . . .*

[7]) cf. Wright W. M. p. 154 v. 60 (= Du Méril 1847, 157 v. 2) et p. 163 v. 24.

[8]) cf. Frg. Bur. 10. 12.

Sed ei doctrina etiam subtilior et reconditior fuit. Nam si pergit (str. 5):

largitatis semitas
nemo iam frequentat,
actus largi strenuos
nemo repraesentat,

voluntate ac iudicio mihi quidem videtur sumpsisse vocabulum *strenuus*. Facile enim fieri potuisse puto, ut ex commentario quodam cognovisse munera initio anni data, de quibus illo loco Ovidiano agitur, *strenas* vocari [1]). Quod si ita est, vocabulum *strenuus* quasi ex *strena* derivatum usurpavit.

Huic fabulae iam adiungamus tres, quae id habent proprium, quod in comparatione inducuntur. Prima autem legitur CB. $XIX_{18}$:

Bursa tamen Tityi
iecur imitatur;
fugit res, ut redeat,
perit, ut nascatur. [2])

Quae ratio huius fabulae adhibendae procul dubio a Nasone profecta est, qui Tomis queritur (ex P. I 239 sq.) supplicium suum sibi asperius fieri longo tempore, quemadmodum *iecur Tityi* semper renascens non absumatur. Comparatio sane cum marsupio hominis avari primum apud Matthaeum Vindocinensem inveni:

Carpitur ut Tityi [3]) iecur omnis avarus. [4])

Duae aliae fabulae lepidissime proferuntur CB. $CXCIV_{12}$. Hoc carmine tenacitas et sordes divitum sacerdotum atro dente perstringuntur, qui vetera vestimenta sua continuo mutarent mutataque in quidlibet verterent:

---

[1]) cf. Pompon. ap. Non. 17, 1; Fest. s. v. p. 313; Du Cange s. v.; Gloss. gr. lat. εὐαρχισμός strena.

[2]) Hoc carmen exstat etiam apud Wright W. M. p. 36 (3 codd.) et Flac. Illyr., Varia p. 159.

[3]) Ticii cod.

[4]) Wattenbach S. B. d. K. B. A. d. W. 1872, 586 v. 55.

Sic in modum Gorgonis
formam transformavit,
immo mirus artifex
hermaphroditavit,
masculavit feminam,
marem feminavit,
et vincens Tiresiam,
sexum tertiavit. (str. 12)

Aperte significavit hic auctor fabulam Gorgonis illius animalis terribilis, cuius qui deformitatem oris et crines serpentinos vidissent, in lapidem verti Ovidius Met. IV 699 sqq. fabulatur, et fabulam Tiresiae vatis Thebani, qui cum duo coeuntes serpentes ictu violasset, in feminam mutatus est et post septem annos in virilem formam rediit, ut Ovidius Met. III 323 sqq. tradit. Ex autem stropha 9[1]) Ovidium ipsum huic auctori fabulas subministravisse apparet.

His fabulis ultimo loco complures breviter adnectere placet, quae eo consilio adhibentur, ut pro communibus notionibus substituantur imagines e fabulari historia desumptae.

Sic *Tantalus sitiens* effigiem gerit iuvenum amantium, qui puellam cupiunt: CB. $57_3$, Wr. W. M. p. 163 v. 25 — cf. Ovid. Am. II 2, 43, Rem. 632[2]) — *Lucretia* est exemplum castitatis CB. $LXIX_a$, Matth. Vindoc. p. 600 v. 32 et una cum *Penelope* p. 622 v. 5; contra *Thais* proverbialiter

---

[1]) In nova fert animus
dicere mutata
vetera, . . ; cf. cod. Herdring. fol. 21 (Z. f. d. A. 49, 161 sqq.)

[2]) Tantalus et Ixion exempla peccatorum sunt in carmine, quo mors Caroli Boni, comitis flandrii anno 1127 trucidati, canitur (Du Méril 1847, 265):

Tantalus purgatus est,
vester eius locus est;
Ixion iam exsilit,
rotam vobis deserit;
saxumque volubile
vos oportet volvere. (cf. Ov. Met. X 41 sqq.)

usurpatur pro meretrice: CB. XXIII$_5$ CXCIX$_7$, Matth. Vind. p. 600 v. 32, Vital. Bles. Get. 375 sqq., altercat. Ganym. et Helenae v. 52, 55[1]) — cf. Ov. A. A. III 604, 788, Rem. 385.

Ad vocum suavitatem significandam afferuntur *Sirenae*: CB. 49$_2$, Wr. W. M. p. 120 v. 468 — cf. Ov. Met. V 551 sqq., Serv. ad Aen. V 864.

*Ulixes*, ut facundia notetur, nominatur: Archip. IV 5, VI 33, VII 5[2]) — cf. Ov. Met. XIII 92 = A. A. II 123.[3])

*Nestor* propter summam prudentiam aetatis diurnitate collectam inducitur: Archip. III 8, IV 5, cod Paris. 3719 ap. Du Méril 1847, 234 v. 7 — cf. Ov. Met. XII 178.

Sed haec hactenus. Licet nonnulla dubia sint, tamen quam studiose hi auctores fabulas Ovidianas in suum usum converterint, dilucide patet.

---

[1]) Z. f. d. A. 18, 127; cf. Wright Early myst. p. 87.

[2]) Manitius, M. Die Ged. d. Archip. Münch. Texte 6, München 1913.

[3]) cf. Matth. Vindoc. p. 37 (ed. Bourgain).

## Caput V.

# De Ovidio rhetore.

Antiqui natura poeseos parum intellecta poeticam artem cum oratoria cognationem quandam habere contendebant, et tota Romanorum poesis iisdem fere legibus paret, quae ab oratoribus observantur[1]). Summus autem inter poetas declamator fuit Ovidius, olim insignis inter declamatores poeta. Omnia eius carmina, quamvis sint diversae naturae, sub rethorico aspectu poni possunt, quippe in quibus nunquam se ludi rhetorici alumnum esse infitietur; omnia eius poemata sententiis a rhetoribus assumptis conspersa vides et tota sentiendi et scribendi ratio rhetorum propria est. Quare eum scholasticae imitationi uberrimum fontem praebuisse facile intellegitur.

In magna quoque Carminum Buranorum parte ratio rhetorica eius perspicitur, atque ea inveniuntur ornamenta, quibus discipulus Porcii Latronis indulsit. Non nimirum omnes eae figurae, quae in his carminibus inveniuntur, solam ad eius auctoritatem revocari possunt. Quae cum ita sint, satis habebimus nonnullas formulas et descriptiones studio Ovidii rhetoris excitatas respicere.

Ac primum quidem in formulas inquiramus. Ratio enim *breviter* dicendi, quae ab antiquis constituta ab omnibus fere medii aevi auctoribus urgetur[2]), quam qui-

---

[1]) cf. Norden A. K. p. 883 sqq. et Franke, Kuno Zur Gesch. d. lat. Schulpoesie im XII. u. XIII. Jahrh. München 1879 p. 25 sq.

[2]) cf. Norden A. K. p. 559 et Verg. Aen. VI 110. — Matth. Vindoc. (ed. Bourgain p. 53):

Verbis et modulis brevitas succincta perorat
Et lyra delirat, quae brevitatis eget.

dem neque hi neque illi in agendo sequuntur, in his quoque carminibus cognoscitur. Est poetae urbane eleganterque scribentis asseverare se breviter scribere, veluti Archipoeta in extrema confessione dicit:

Pater mi, sub brevi tam[1])
multa comprehendi,
quia doctis decens est
modus hic loquendi. (CB. CLXXII$_{30}$).

Scholasticis autem studiis non modo ingeniorum et sententiarum unitas quaedam efficitur, sed etiam certae quaedam formulae dicendi conformantur. Huc spectat locus communis: *quid irem per singula?*, quem legimus CB. XIX$_{17}$ (= Wright W. M. p. 39 v. 66), W. M. p. 153 v. 35, Gualt. ab Ins. I 19[2]), vel *quid percurram singula?* (cf. Pannenborg[3]) XI 198: Lig. IV 40 sq., Ermold. Nig. prol. 17, I 19). Pannenborg hanc elocutionem referri vult ad Maccab. II, 30/32. *Etenim intellectum colligere et ordinare sermonem et curiosius partes singulas quasque disquirere, historiae congruit auctori; brevitatem vero dictionis sectari et executiones rerum vitare brevianti concedendum est,* quod parum verisimile mihi videtur. Immo eam redire ad versiculum Ovidianum (Am. I 5, 23 = Trist. III 7, 43) *singula quid referam?* — Ex eodem carmine Ovidiano (Am. I 5) altera quaestio rhetorica *cetera quis nescit?* in haec carmina transiit. Nam CB. 50$_{30}$.

quis ignorat amodo
cuncta quae sequuntur?

manifesta imitatio est, quod uterque poeta hac quaestione in eodem sententiarum conexu significat quintum gradum amoris.[4])

---

[1]) cf. Wustmann Z. f. d. A. 35, 335.

[2]) Müldener, Die 10 Gedichte des Walter von Lille, genannt von Châtillon. Hannover 1859 (cod. Paris. 8359.).

[3]) Über den Ligurinus, Forsch. z. d. Gesch. XI 198.

[4]) Etiam CB. 129 amoris secreta furtivaque gaudia secundum illum locum Ovidianum significantur: *nisi fiant cetera* (str. 4).

Videmus igitur unam imitationem fulciri altera.

Alterius generis est formula *nomen habet a re* CB. $XIX_{14}$. Inter omnes enim constat, quantum fuerit studium omnium medii aevi auctorum nomina etymologice interpretandi, quae etymologiae nobis quidem merae nugae videntur esse. Hac in re illa formula adhibetur[1]), quare auctor CB. $XIX_{14}$ ad perstringendam aviditatem papae nomen eius sic interpretatur:

> Papa, si rem tangimus,
> nomen habet a re,
> quidquid agunt alii,
> solus vult papare.

Hanc quoque formulam profectam esse existimo ab Ovidio, apud quem legitur (Am. I 8, 3 et Met. XIII 569) *ex re nomen habet.* —

Omnino auctor CB. XIX locos communes ab antiquis poetis profectos permagni aestimasse videtur, nam versus *quidquid agunt alii,* qui fortasse redit ad Iuv. I 81, etiam invenitur CB. $61_{8}$ et $190_{2}$. — Praeterea manifestam imitationem Ovidianam iam a Schmeller[2]) detectam praebet str. 13:

> si munus praestitum
> non sit aliquanti,
> respondet[3]): *haec tibia*
> *non est mihi tanti.*

Apud enim Ovidium (Met. VI 387) Marsyas victus et degluptus clamat: *non est tibia tanti.*

Quae verba in huius poetae mente eo facilius inhaerescere potuerunt, quod ab Ovidio repetuntur A. A. III 505 et Fast. VI 701, unde ea in proverbium abiisse apparet.

Breviter addo formulas *si quis amans* CB. $39_{8}$ $46_{6}$ et *quisquis amat* CB. $55_{32}$ $99_{3}$ $102_{3}$ [4]) usitatissima initia versuum Ovidianorum esse.

---

[1]) cf. CB. $XVIII_{1}$ et Gualt. ab Ins. V 19.

[2]) p. 258.

[3]) sc. papa.

[4]) cf. cod. Tur. 58/275 fol. $8^{v}$. (Werner l. c. p. 39).

Sed mittamus haec, ut videamus, quomodo in descriptionibus studium Ovidii conspiciatur. Nam sicut ille ubertate nunquam exhausta se praestitit, quotienscumque inducit personam secum loquentem atque fluctuantes suas sententias scrupulose subtiliterque explicantem (cf. soliloquia Iunonis Met. III 261 sqq., Pyrami IV 107 sqq., Boreae VI 687 sqq., Medeae VII 11 sqq., Scyllae VIII 44 sqq., Byblidis IX 474 sqq., Orphei X 17 sqq, Myrrhae X 320 sqq.[1]), ita multi horum poetarum non possunt se continere, cum personas depingunt inter varios affectus haesitantes. Qua in re quamquam verborum consensus raro invenitur (cf. CB. 88, 125, 160), tamen hos locos conferre iuvabit:

In trutina mentis dubia
fluctuant contraria,
amor et pudicitia.
Sed eligo quod video,
collum iugo praebeo[2]) (CB. $43_7$).

et Am. III 10, 27 sqq.:

. . . ut tenerae flammam rapuere medullae,
Hinc pudor, ex illa parte trahebat amor,
Victus amore pudor . . . —

GB. $125_1$: longa spes est dubia
permixta timore,
solvit in suspiria
mentem cum dolore.

CB. $37_7$: Ut vaga ratis per aequora
dum caret ancora,
fluctuat inter spem metumque dubia,
sic Veneris militia . . .[3])

---

[1]) cf. Faral l. c. p. 150.

[2]) *iugo collum praebere* legitur Fast. IV. 493, cf. Ep. IX 6, Rem. 90.

[3]) In cod. Arund. (Wright Early Myst. 117, W. Meyer 14) haec stropha sic legitur:

Sicut . . . navicula
levis in aequore,
dum caret ancorae
subsidio
flatu concussa fluitat,
sic agitat . . . (cf. CB. $159_3$).

et Trist. V 2, 37 sqq.:

Quid dubitas? Quid tuta times?

. . . . . . . . . . . . . . . . .

Ancora iam nostram non tenet ulla ratem.

Quod vero CB. $164_3$ legimus:

Hic amor, hic odium;
quid eligam, nescio,
sic feror in dubium;
sed cum hanc respicio,
me furatur inscium,
et prorsus deficio
ad gaudia,

satis magna probabilitate hanc sententiam referre possumus ad

Ov. Am. III 11, 33:

Luctantur pectusque leve in contraria tendunt
Hac amor, hac odium, sed puto, vicit amor.

Praeter hanc cognationem, quae ut ita dicam magis intrinsecus posita est, apertiora imitationis vestigia ostentenduntur in argumento Ovidiano, quod antiquus poeta multis locis variavit et amplificavit. Est autem sententia, quae quasi propositum exstat carminis Am. III 4:
Nitimur in vetitum semper cupimusque negata. (v. 17.)
— cf. Am. II 19,3:

Quod licet, ingratum est, quod non licet, acrius urit,

Am. II 19, 36:

Quod sequitur fugio. Quod fugit, ipse sequor,

Am. III 4, 25:

Quidquid servatur, cupimus magis . . ,

Fast. II 776:

Quoque minor spes est, hoc magis ille cupit. —

Hoc argumentum hi quoque poetae in deliciis habebant[1])

---

[1]) *Nitimur in vetitum et negata cupimus* est initium carminis in cod. Egerton 274 (s. XIII.) fol. 25^v (Anal. Hymn. 20, 17), in cod. Laur. 29, 1 fol. 438^r et fol. 469^r (cf. Anal. Hymn. 20, 15 et 21,95); cf. CB. $XXIII_4$ *nitimur in vetitum.*

et auctor CB. 44[1]) verbosi Nasonis aemulus, ita tractat (str. 4):

Quod mihi datur,
expaveo,
quodque negatur,
hoc aveo
mente sereno.
Quae mihi cedit,
hanc caveo,
quae non oboedit
huic faveo, . . .
Quae cupit,
hanc fugio,
quae fugit,
hanc cupio;
plus renuo debitum,
plus feror in vetitum,
plus licet illibitum,
plus libet illicitum.

Alia imitatio in describendis feminis invenitur. Feminarum autem condicio medii aevi temporibus duplex erat. Nam eaedem, quae ecclesiae erant contemnendae ac detestabiles, desiderabiles et expetendae erant clericis. Quapropter in his carminibus altera ex parte vitia, altera laudes feminarum audimus.[2]) Cum autem Iuvenalis im-

---

[1]) cf. Frg. Bur. 20.

[2]) Matth. Vindoc. Art. versif. p. 34 (ed. Bourgain): *Personae duplex potest esse descriptio. Una superficialis, quando membrorum elegantia describitur, scilicet homo exterior; alia intrinseca, quando interioris hominis proprietates, scilicet ratio, fides, patientia, honestas, vel vitia ut superbia, luxuria et cetera epitheta interioris hominis, scilicet ad laudem vel ad vituperium, exprimuntur.* Eiusmodi descriptionibus carmina amatoria vix possunt egere. cf. Matth. Vindoc. A. v. p. 16: *si agatur de efficacia amoris, quomodo scilicet Iupiter Parrasidis amore exarserit, praelibanda est puellae descriptio et assignanda puellaris pulchritudinis forma, quae Iovem impulit ad vitium corruptionis.* Luculentissimum exemplum praebet CB. 50$_3$ et $_{15}$ sqq., ubi etiam verba (str. 15) *aurea mirifice coma dĕpendebat* prorsus eadem sunt, quae leguntur Met. XII 395.

primis et Horatius, ut rei natura fert, ad illa adumbranda colores praebeant, a proposito nostro aliena sunt. Laudes autem, quae, quia praecipue Venus vulgivaga celebratur — sicut ab Ovidio —, constant ex meris formae descriptionibus, prorsus Ovidianis imaginibus ornatae atque distinctae sunt.

In quas iam acuratius inquirendum est.

Initium autem capiamus a similitudinibus, quibus oculi cum sideribus comparantur. Nemo quidem de imitatione cogitabit, si in CB. *stellae* vel *sidera* vel *lumina* pro *oculis* legerit; nam huius translationis usus latissime patet et in hymnis quoque frequentissimus est. Luculenta vero imitatio, quae perspicitur in multorum verborum congruentia, invenitur CB. $40_3$ [1]):

siderea luce micant ocelli.

Quae imago oriri non potuit nisi Ovidii carminibus lectitatis; nam ad eam conformandam poeta hos locos Ovidianos conflavit:

siderea luce Met. IV 169,
micant oculi Met. III 33 = VIII 284.
radiant ut sidus ocelli Am. III 3, 9.

Ne autem fructu suo careat haec disputatio de imaginibus a sideribus petitis, iam de CB. 131 diligentius agendum erit. Cum enim aliis omnibus locis haec imago ad oculos conferendos cum sideribus adhibita sit, nonne quaeso, si in hoc carmine legis:

In amoris haec chorea
cunctis praenitet,
cuius nomen a P h o e b e a
l u c e renitet,
et pro s p e c u l o
servit solo,
illam colo,
eam volo
nutu solo
in hoc saeculo (str. 2),

[1]) Hoc carmen traditum est etiam in cod. Arund. (W. Meyer nr. 4 = Wright Early Myst. p. 111) et in cod Medic. (Z. f. d. A. 39, 365).

haec similitudo ad nomen delata insolita tibi esse videbitur? Sed hac ipsa imagine Ehrenthal excitatus est, ut hoc carmen ab Abaelardo scriptum esse contendat, qui eo desidcrium enuntiet Heloissae suae a se occultatae (str. 1).[1]) Ac primo quidem aspectu probabilis videtur esse eius argumentatio, cum hoc carmen ex eis paucis sit, ad quae pangenda vita ipsa poetam inflammasse videtur, et quia Abaelardus *Heloissam ex proprio nomine suo, quod est Heloim, insignivit;*[2]) sed si quis accuratius inquiret, stare non poterit. Ille enim vir doctus ipse recte observavit pro *servit solo* scribendum esse *servit polo* — hoc erratum incuriosi librarii propter sequens *solo* facile intellegitur —; nos vero ultro procedimus et pro *nomen* scribendum esse *lumen* contendimus. Quod si mutaveris, non modo solitam similitudinem habebis, sed etiam apertam imitationem Ovidianam. Ovidius enim ardentes oculos nymphae Salmacidis (Met. IV 347 sqq.) hac similitudine adumbrat:

. . flagrant quoque lumina nymphae
Non aliter quam cum puro nitidissimus orbe
Opposita speculi referitur imagine Phoebus.

Quae si recte disputavi, praeter detectam imitationem Ovidianam ostendisse mihi videor, quam difficile, ne dicam vanum, sit studium certos auctores Carminum Buranorum investigandi.[3])

Pergamus iam ad eas imagines, quae in laude pulchritudinis femineae adhibentur ad colores depingendos.

---

[1]) Ehrenthal, L. Studien z. d. Liedern d. Vaganten. Prgr. Bromberg 1891.

[2]) cf. Epp. ad Hel. ed. Cousin p. 101, Rémusat Abélard I 46 adn., ap. Ehrenth. l. c. p. 6 sq.

[3]) cf. Schreiber, I. (Die Vagantenstrophe der mittellat. Dichtung und das Verhältnis derselben zu den mhd. Strophenformen. Ein Beitrag zur CB.-frage, Strassburg 1894.), qui omnia carmina limatiora Gualtero ab Insulis vindicare vult, C. M. Dreves (Analecta hymnica) qui omnia fere carmina cod. Laur. 29, 1 Philippo de Grevia, Hauréau (Not. et extr. Paris 1880 sqq. = Les Mél. poét. d'Hilb.), qui plurima Hildeberto adscribit.

Imago a liliis et rosis petita, qua Ovidius colorem erubescentis puellae illustravit (Am. II 5, 37)[1]) ab auctore CB. 40 ad decus puellae suae significandum adhibita est. Sed haec imago in hymnis tam usitata est, ut ad imitationem probandam nullius fere momenti sit. Idem valet de alliis multis imaginibus, quae tam simplices tamque pervulgatae sunt, ut hos poetas Ovidio exemplo ductos esse inde colligi vix possit, etiamsi omnes hae imagines apud eum reperiantur. Huc spectant *frons nivea,* CB. $40_3$ $42_4$ [2]), *niveus candor* CB. $40_4$ $118_4$ [3]), *roseus rubor* CB. $118_4$ [4]), *rosea facies* CB. $125_6$. Certius aliquid de fonte huius descriptionis dici potest (CB. $132_2$):

Facies est nivea
miranda decore,
os eius subfunditur
roseo rubore.

Nam hic poeta memor fuisse videtur Ovidianorum locorum Met. I 484 et Am. III 3, 5sqq.:

Pulchra verecundo suffunditur ora rubore, —
Candida candorem roseo suffusa rubore
Ante fuit. Niveo lucet in ore rubor.

Quae descriptio etiam Matthaeo Vindocinensi exemplum fuisse videtur, cum in arte versificandi v. 17[5]) dicat:

Candori socio rubor interfusus in ore
Militat, a roseo flore tributa petens.

Iterum igitur atque igitur Ovidium non modo scholae largam materiam praebuisse, verum etiam opinionem feminae vere formosae mutavisse cognoscimus.

Hoc loco duas comparationes inserere liceat, quae ad Ovidii exemplum conformatae sunt. Altera e cycno petita est. Auctor enim CB. $154_1$ desiderio et amore excruciatus sic qeritur:

---

1) Imago est homerica, cf. E. Rohde Rom. p. 153.
2) *frons nivea* = Met. X 138
3) *nivei candoris* = Met. III 423
4) *rosei ruboris* ∽ Am. III 3, 5 *roseo rubore,* = CB. $132_2$
5) ed. Bourgain p. 26.

Eia dolor!
Nunc me solor
velut olor
albus neci proxumus.
abiectus lugeo,
despectus pereo,
exclusus langueo,

similiterque auctor CB. $167_1$ [1]):

Sic mea fata canendo solor,
ut nece proxima facit olor.

Quodsi ad fontem huius similitudinis explorandum nos convertimus, occurrunt complures loci Ovidiani, quibus ille lamentationes morientium vel miserabilem suam conditionem deflentium confert cum flebili cantu cycni morientis: Ep. VII 1 sq., Met. XIV 429 sq., Fast. II 109 sq., Trist. V 1, 11 sqq. Tantopere autem versus Ep. VII 1 sq. cum supra allatis congruunt:

Sicubi fata vocant, udis abiectus in herbis
Ad vada Maeandri concinit albus olor,

ut imitatio luce clarior sit.

Iam deinceps alteram videamus comparationem, quae non minus manifesto originem suam ab Ovidio duxit. Legimus enim CB. $82_3$:

Quot sunt flores
in Hyblae vallibus,
quot redundat
Dodona frondibus,
et quod pisces
natant aequoribus
tot abundat
amor doloribus
usque.

Hanc stropham si comparaversis cum his versibus (Ov. A. A. II 517 sqq.):

---

[1]) cf. cod. Paris. 3719 fol. 88r (Du Méril 1847, 237) et Frg. Bur. 20.

Quot lepores in Atho, quot apes[1]) pascuntur in Hybla,
Caerula quot bacas Palladis arbor habet,
Litore quot conchae, tot sunt in amore dolores,

dubium esse nequit, quin ille poeta coacervatas[2]) huius Ovidiani loci imagines imitatus sit. Ex hac quam statnimes imitatione Ovidiana discrepantiam duarum lectionum facile diiudicare possumus. Nam cum in cod. Bur. legamus *quot sunt flores in Hyblae vallibus*, praebet cod. Stutgard. quidam (Z. f. d. A. 1895 363) *apes* pro *flores*. Atqui apud Ovidium invenimus *quot apes pascuntur in Hybla*. Ergo lectionem *apes* praeferre cogemur.[3]) — Summa vero arte pro imaginibus remotioribus adhibuit poeta e frondibus et piscibus petitas, quae eaedem ingenti copiae indicandae inservientes saepius apud Ovidium leguntur, ubi exul magnam malorum turbam se circumstantem questus est, veluti Trist. IV 1, 55 sq., V 2, 25 sqq; ex P. II 7, 26 sq. Quin etiam hic poeta in imagine piscium adhibita iisdem fere verbis, quibus ille ex P. II 7, 28, utitur: *quot natant pisces aequore.*

Paulum mutata haec stropha exstat in cod. Paris. 3719 fol. 40r :[4])

Quot sunt harenae litore,
quot folia in arbore,
quot rami sunt in nemore,
tot dolores sustineo.

Imago quoque ad harenam spectans, quamquam in scriptura sacra ad multitudinis notionem adumbrandam plus vicies invenitur, ex Ovidiano fonte fluxit, quippe quam ille in libris in exilio scriptis potissimum adhibuerit, non ut numerum magnum rei gratae iucundaeque significaret,

---

[1]) Imagine apium a Claudio Claudiano quoque multitudo depingitur: V 460 sqq. et XXXV 124 sqq.

[2]) In hac coacervatione similitudinum adhibenda Ovidius a nullo alio poeta superatur, cf. Washietl, Io. A. De similitudinibus imaginibusque Ovidianis. Diss. Vindob. 1883. p. 5.

[3]) Itemque pro *Idae* in cod. Stutg. legendum est *Hyblae*.

[4]) Du Mér. 1847, 234 in eodem carmine, quod p. 15 commemoravimus.

sed ut se plurimis malis miseriisque afflictum esse ostenderet; cf. Trist. IV 1, 55 *me tot adversis cumulant, quot litus harenas . . habet*; Trist. I 5, 47; V 1, 32; 6, 43.

Sed redeamus ad descriptiones.

Rerum descriptiones in Carminibus Buranis, ut in carminibus maximam partem lyricis, rariores esse quam in didacticis et satyricis, quae Wright non recte Gualtero Mapio attribuit, manifestum est. Neque vero omnino desunt. Nam in CB. 65, quod altercationem Phyllidis et Florae continet, ornamenta equi Phyllidis depinguntur quasi Nasonis stilo (str. 50 sqq.)[1]

Luculentior etiam est imitatio in eo carmine, quod *Metamorphosis Goliae episcopi*[2] inscribitur, in quo poeta regiam in Helicone constructam eisdem coloribus ornavit, quibus in Metamorphoseon libro II. Ovidius domum Solis. (cf. Met. II 1 *Regia Solis erat sublimibus alta columnis* et *Stat ibidem regia columnis elata . . .*). Et stabilitur haec imitatio eo, quod uterque poeta antiquum exemplar secutus Vulcanum artificiosum conditorem esse addit.[3]) Similem in modum Gualterus ab Insulis in locis describendis ab antiquis poetia, imprimis ab Ovidio pendet.[4])

---

[1]) Ceteras similitudines ap. Faral l. c. p. 195 sqq., qui quomodo auctor huius carminis cum antiquos poetas tum Ovidium sequatur, dilucide exposuit.

[2]) Wright, W. M. p. 22 v. 37 sqq.

[3]) cf. CB. $65_{55}$: Solus illam sculpserat
haec spectans Vulcanus

et W. M 22., 43: Haec Vulcanus fecerat
speciali cura,
totum sub involucro,
totum sub figura.
Hic sorores pinxerat
novem Glyconis (Heliconis ?)
et coelestis circulos
omnes regionis;
et cum his et aliis
eventum Adonis,
et Gradivi vincula
et suae Dionis. (cf. supra p. 34).

[4]) cf. K. Franke l. c. p. 27 sq.

Ac ne in naturae quidem descriptionibus hos poetas sui animi cursum sequentes vides et quasi abreptos divino spiritu amoenitates naturae celebrantes, etsi tempora illa respiciens contrarium esse putes. Inopes enim in rebus excogitandis id, de quo loquuntur, inani verborum copia obruunt. Nunquam id genus naturae contemplationis, quod romanticum dicere nos consuevimus, invenitur; nunquam hae discriptiones sensui subiectae sunt, sed tantum cogitationi. Atque quantopere antiquos sequantur, et inde cognoscitur, quod assidue recurrunt Nymphae, Naiades, Dryades, Hamadryades, Satyri aliaque numina, quorum illi naturam plenam finxerunt. His nimirum nominibus hi poetae utuntur potius artificiis quam ad animi motus vere sincereque exprimendos. Qua in re eos maxime ad Vergilium applicavisse non est mirum, utpote cuius Georgica et Bucolica singulari quodam sensu naturae amoenitatum ferantur. Huic quoque frequentatissimam imaginem naturae omniparentis debent.[1]) Ex Ovidii autem scriptis hos tantum flosculos carpserunt:

CB. $116_{2}$ *volucres canorae* = Ov. Fast. III 17.

CB. 96 (extr. v.) *coeunt animalia* = Ov. Met. X 324.

CB. $65_{6}$ et $108_{4}$ *viridi gramine*[2]) = Am. I 14, 22.

CO. $18_{3}$ *frigoris asperitas* = Fast. IV 88, cf. CB. $51_{1}$ *hiemis asperitas.*

CB. $50_{14}$ *aer lucidus* = Fast. I 105.

CO. $17_{3}$ *convexa montium* = Ov. Met. XIV 154.

CO. $21_{3}$ *rore vitreo* (= W. M. p. 61 v. 102) = Ov. Am. I 6, 55.

CO. $17_{3}$ *unda garrula* ∽ Ov. Fast. II 316 *garrulus rivus.*

CB. $65_{6}$ *rivus vivus* ∽ Ov. Met. III 27 *vivi fontes*

CB. $165_{1}$ *carpere flores* = Met. IX 343, 380; X 83

CB. $43_{1}$ *umbrosa arbore* = ex P. IV 5, 41.

CB. $37_{6}$ *fronde sub arboris* ∽ Ov. Am. III 5, 8 et

---

[1]) cf. contra Marold Z. f. d. Ph. 23, 6.

[2]) His ipsis verbis R. M. Meyer (Z. f. d. A. 29, 180 sqq.), ut CB. 108 in Germania ortum esse contenderet, inductus est!

Met. IV 636 *fronde sub arborea* (= W. M. p. 238 v. 37 = cod. Paris 3719 ap. Du Méril 1847, 233 v. 4 = cod. Tur. 58/275 fol. 16ᵛ ap. Werner p. 62).

Sic comparandi sunt hi poetae cum antiquis, quorum laudes naturae non pluris aestimandae sunt quam rhetoricum sententiarum ornamentum.[1])

Si autem tam raro illos in laudibus naturae Ovidii imitatores extitisse videmus, id minime nos miros habere debet, quoniam haec res facillime explicatur eo, quod Ovidius ipse multo rarius quam Vergilius amoenitates naturae descripsit.

---

[1]) Breviter commemoro nonnullos alios flosculos Ovidianos: CB. $35_{15}$ *proles regia* = Met. VIII 90; $39_{2}$ *Dione nudula* ∽ Am. I 14, 33 *nuda Dione*; $39_{4}$ *tori consorte* = Met. I 319; $44_{1}$ *axe aureo* ∽ Met. II 107 *aureus axis*; $49_{6}$ *cursu tacito* = Met. XIV 601; $79_{1}$ *mille modos Veneris* ∽ A. A. I 756 *mille modi*, cf. Archip. c. VII 27, 1; $114_{5}$ *ulnis necti* ∽ Met. XI 63 *ulnis amplecti*; $143_{5}$ *festina moram rumpere* ∽ Met. XV 583 *moram rumpe*.

## Caput VI.

# De Archipoeta et Ovidio.

Silentium est de ceteris vagis, unus immortalis exstat et exstabit Archipoeta. De quo longe ingeniosissimo omnium XII. saeculi poetarum fusius disputare operae erit pretium, quippe qui quasi alter Ovidius sit.

Personae autem ac vitae imaginem ex ipsius carminibus fingamus necesse est, cum aliunde nihil de eo tradatur. Ac ne nomen quidem notum est; Archipoetam ipse se nominavisse videtur.[1] — Natione Germanus est, non Britannus (Wright) aut Francogallus (Giesebrecht) aut Lombardus (Burckhardt); nam cum in Italia versaretur, fautorem obsecravit, ut se, qui ipse quoque *transmontanus* esset, adiuvaret. — In vita autem ac moribus mira quaedam similitudo inter eum et Ovidium intercedit. Utriusque enim maiores ordine equestri erant (cf. c. IV 18 *ortus ex militibus proeliandi gnaris*),[2] sed uterque, ut poesi operam daret, asperam militiam detrectavit (cf. l. c.; Ov. Trist. IV 1, 71 sqq.). Sicut Ovidius Messalla Corvino, ita Reinaldo archicancellario Archipoeta familiarissimo usus est fautore. Erat autem uterque aetati suae ut ita dicam consentaneus, et levitatem suam secutus voluptatibus vitae indulgebat. — Carmina Ovidiana hominem socordem

[1]) cf. Grimm, Iac. Ged. d. MA. auf Kön. Friedr. I, d. Staufer in Abh. d. K. A. d. W. Berl. 1843 = Kleine Schriften III, 1866. p. 14 sqq. et Manitius, Max, Die Ged. d. Archip. München 1913 p. 1.

[2]) CB. CXCIV3 praebet lectionem depravatam: *ortus ex militibus proelior ignaris.*

benignum, levem lascivum produnt, Archipoeta ubivis hilarem bonum, levem mendicum se praebet. — Quae natura eis perniciei fuit; ille enim imperatoris, hic cancellarii animum offendit (c. II): patria carere coacti sunt. — Procul a patria mortuus est Ovidius, incerta morte periit Archipoeta. —

Etiam ingenium poeticum Archipoetae cum Nasonis comparari potest. Etenim facilitas et celer ille rhythmus versuum Ovidianorum, quibus audientium aures delectantur, illa formularum rhetoricarum ubertas, quibus Ovidii carmina abundant, doctrina illa qua Ovidius versus exornat, narrationes illae Ovidianae, quae limpidi rivuli instar leniter declivi alveo fluentis placide decurrunt, elegantia illa et nitor loquendi, quod verum numerosi Ovidii patrimonium est, — haec omnia apud Archipoetam redeunt.

Unum autem ex decem carminibus, quae sub eius nomine tradita sunt, sufficit, ut dignus habeatur, qui laurea Apollinari coronetur: confessio (CB. CLXXII). Neque vero id nunc ago, ut totam de hoc carmine latissimam quaestionem retractem et in explicandis discrepantiis graviter corruptae memoriae desudem — nam hoc carmen cupide lectitatum atque in compluribus terris pervulgatum eandem sortem expertum est, quae aliis multis accidit, cum permultas variationes passum sit.[1] —, sed ostendere

[1] 1. cod. Monac. 4660 fol. 840. B(uranus).
2. cod. Paris. 11867 (s. XIII) fol. 104 cf. Pertz A. VIII 289, N. A. 23, 637, Hauréau Not. et extr. 29 II 266—270 P.
3. cod. Vat. Christ. 344 (s. XII/XIII.) fol. 31, cf. Pertz A. XII 276. V.
4. cod. Bruxell. 2071 (s. XIII.) fol. 105, Pertz A. VII 1008, I. Grimm Ged. p. 67—71 = Kl. Schr. III 70—73, Wattenbach Z. f. d. A. 15, 474. S(tabloensis).
5. codd. Harleian. 978, 2851, 3724, cotton. Vesp. A. XIX, Vesp. B. XIII, corp. Chr. Coll. 450 (Cantuar.) a Wright contextui restituendo adhibiti. H.
6. cod. Tur. 58/275 (s. XII/XIII.) fol. 153 ed. Werner p. 200 sqq. T.
7. cod. Vat. 7260 fol. 41 in Chronicis fratris Salimbene ad a. 1233 ed. in M. G. H. XXXII 1, 83 sqq. F.

conabor, quomodo Archipoeta in hoc carmine conscribendo pendeat a Nasone. Nam non solum propria proferendo, sed etiam ab aliis argumenta sumendo divitem excultissimi ingenii venam ostendit.

Iam W. Meyer [1]) rectissime monuit Scherer, qui confessionem seriam esse putaverit, consilium poetae non recte intellexisse. Quam falsam illius doctissimi viri interpretationem inde ortam esse opinor, quod Archipoetae sermo multis locis libros sacros redolet. Nam quod incipit confessionem:

Aestuans intrinsecus [2])
ira vehementi
in amaritudine
loquar meae menti:
factus de materia
levis [3]) elementi
similis sum folio,
de quo ludunt venti,

aperte ob oculos habuit Hiob 10, 1: *Loquar in amaritudine animae meae* . . et Hiob 13,25: . . *folium, quod vento rapitur.* — Sed si rem ad vivum resecamus, Eliphas hoc loco imaginem e folio petitam ad vanitatem inanitatemque hominis indicandam usurpavit [4]), cum Archipoeta levitatem suam excusaturus sit. Imago autem e foliorum mobilitate deducta ad animum infirmum ac levem illustrandum non semel apud Ovidium invenitur (cf. Ep. V 109, Fast. III 481, ex P. IV 3, 34). Quae cum ita sint, Archipoeta imaginem Ovidianam festive expressit sollemnibus verbis e scriptura sacra desumptis. Quod

---

[1]) Gött. Nachr. 1907, 171 adnot.

[2]) *interius* B., *intrinsecus* ceteri codd.

[3]) *cinis* B., *levis* H S T, *vilis* P.

[4]) cf. W. M. p. 148 v. 35 sqq.:

ut leve folium,
quod vento rapitur,
sic vita hominis
a luce trahitur.

optime quadrat in eius rationem diversa in unum confundendi. [1])

Maioris autem momenti est, quod in ipsa confessione conscribenda Nasonis auctoritatem spectavisse videtur. Qui aliquando ab amica sua in perfidia deprehensus, melius esse duxit rem confiteri, et levitatem praetendens Am. II 4, 1 sqq. haec:

Non ego mendosos ausim defendere mores,
falsaque pro vitiis arma movere meis.
Confiteor. Si quid prodest delicta fateri,
in mea nunc demens crimina fassus eo.

Cupiditatem autem suam, qua semper in amorem inducatur, sic exornavit (v. 17 sq.):

Nam desunt vires ad me mihi iusque regendum,
auferor ut rapida concita puppis aqua.

Haec nonne perbene respondent eis quae Archipoeta confitetur (str. 3):

Feror ego veluti
sine nauta navis,
ut per vias aeris
vaga fertur avis,
non me tenent vincula,
non me tenet clavis..?

Et versus Ovidianos (5 sq.)

Odi, nec possum cupiens non esse quod odi.
Heu, quam quae studeas ponere, ferre grave est!

comparantem cum his (str. 7):

Res est arduissima
vincere naturam,
in aspectu virginis
mentem esse puram,

quemnam effugere potest similitudo, quae inter hos duos locos intercedit? Atqui legimus Sapient. 5,10: *et tamquam navis aut tamquam avis, quae transvolat in aere.* Iterum igitur num Ovidium spectaverit, res incerta esset,

[1]) cf. p. 29.

 

nisi certioribus indiciis mihi persuasissem re vera Ovidium ei ducem fuisse. Quod evincitur stropha 9, qua quam difficile sit Papiae — sic Pavia apud infimae latinitatis scriptores appellatur — castitatem servare, sic illustrat:

Si ponas [1]) Hippolytum
hodie Papiae,
non erit Hippolytus
in sequenti die.

Eodem enim exemplo Ovidius in sua confessione utitur, ut se puellis tam multis tamque pulchris resistere non potuisse demonstret (v. 32):

Illic Hippolytum pone, Priapus erit.

Non igitur dubium esse potest, quin Archipoeta hoc carmen respexerit.

Haud praetereundus est fructus, qui ex hac, quam statuimus, imitatione percipitur ad rem criticam. Omnes enim codices, habent *si ponas Hippolytum,* praeter cod. Bur., qui praebet *si feras H.* Sed cum apud Ovidium legatur *pone,* lectio *ponas* praeferenda est.

Est autem imitatio libera ac soluta. Archipoeta enim illi exemplo alterum adnectit:

Veneris ad thalamum
omnes currunt viae,
non est in tot turribus
turris Galatiae.

Magna autem obstringimur difficultate, cum pro *Galatiae* S praebeat *Alethiae*, H *Aliciae*, P *Ariciae*; in quarum lectionum turba facilius est dicere, quae displiceat quam quae sit amplexanda.

Sed singulas percenseamus.

Archipoeta si scripsit *Galathiae,* illam nympham marinam putandus est spectasse, cui, ut Ovidius Met. XIII 738 fabulatur, Acidis amore ardenti et ipsi a Polyphemo amatae

---

[1]) *feras* B, *ponas* cet. codd.

non nisi per luctus licuit Cyclopis amorem
effugere.[1])

Sensus igitur huius loci si simpliciter omnique ornatu remoto exprimitur, est: Paviae ne Galatea quidem casta manere potest. Optime. At vix possum mihi persuadere Archipoetam homoeoteleuti gratia scripsisse *Galatiae* pro *Galateae.*

Iam videamus de *Alethia.* Haec in Theoduli ecloga, quam medii aevi temporibus studiose lectitatam esse constat, cum Pseuste pro christiana religione decertavit.[2]) Neque vero perspicuum est, quid veritas hoc loco sibi velit, quo agitur de castitate.

Idem atque *Alethia* fortasse est *Alicia;* nam *th* hac aetate non distinguebatur a *t,* et *tia* non a *cia.*[3])

Sed etiam ex *Ulixeae* corrupta esse potest, ut Laistner coniecit, cum vox *ulixeae* ab Archipoeta c. IV 8 quoque adhibeatur, quo loco librarius scripsit *ilixea.* Ulixis autem uxorem exemplum castitatis esse cognovimus.[4]) Sed ne *Ulixea* quidem probabilis est, cum ad litterarum traditarum ductus minus prope accedat.

Restat *Aricia.* Haec, nisi forte ex *Alicia* orta est uxor est Hippolyti. Sententia igitur totius strophae esset: Paviae neque Hippolytus neque coniux castitatem servare potest. At Aricia singularis castitatis famam adepta non est, quare ab Archipoeta exempli causa positam esse non est verisimile.

Etiam *Lucretiae* Laistner perpendit; sed a memoria abhorret.

Quibus tenebris lucem afferre possumus, si nos ad illam virginem regiam revocamus, quae in turrim inclusa ab adulteris muniebatur. Danaen dico, Acrisii filiam, de qua supra disseruimus. Potuit igitur scribere Archipoeta *Acrisiae,* ac profecto eum ita scripsisse confido. Concedo equidem formam *Acrisīae* (sc. virginis) ab Archipoeta

[1]) cf. Vergl. Ecl. IX 39.

[2]) cf. Laistner, L. Golias. Stuttg. 1879. p. 106

[3]) cf. p. 42 not. 3.

[4]) p. 43.

fictam esse, sed haec ratio nova verba fabricandi nonne poetarum medii aevi propria est? Ad meam autem sententiam confirmandam hoc maximi momenti est, quod, si *Acrisiae* substituimus, magna difficultas, quam hic locus parat, egregie dissolvi videtur; nam quid ad Galateam, Alethiam etc. turris? Sic sententia ornatu non debet orbari, sed omnem vim servat. Quae si satis certa et vera sunt, ut mihi quidem videntur esse, vic quemquam esse putaverim, qui hoc alterum quoque exemplum ab Ovidio petitum esse neget.

In sequenti autem parte, quae est de taberna, Archipoeta Horatianorum imprimis locorum memorem se praestitit,[1]) sed tum ipsum Nasonis nomen affert (str. 16):

Nasonem post calicem carmine praeibo.

Confessione finita haec (str. 20):

Ecce *meae proditor*
*pravitatis* fui,
de qua me redarguunt
servientes tui.

Non est dubium, quin locus alterius confessionis Ovidianae ei observatus sit (Am. II 8, 25 sq.):

. . . index ante acta fatebor
Et veniam *culpae proditor* ipse *meae.*

A quibus hic incipit, eis conficit Archipoeta confessionem.

Quae omnia si comprehenderis, num tu infitiabere Archipoetam in carminibus Ovidianis penitus versatum fuisse atque aperte se applicuisse ad confessiones Nasonis?

---

Iam disputatione ad finem adducta, quae consecuti sumus, paucis verbis comprehendamus.

[1]) cf. str. 13,3 et Hor. c. I 13, 16; str. 14, 1 sqq. et Hor. Ep. II 2, 77; str. 16, 5 sq. et Hor, Ep. I 19, 2.

Ex eis quae exposuimus, dilucide mihi videtur apparere, quantum studium in Ovidii carmina impenderint Carminum Buranorum auctores et quam alte Ovidius descenderit in sensum duodecimi saeculi poetarum. Nam non solum argumentis, fabulis, imaginibus similitudinibusque Ovidianis hi poetae carmina sua exornaverunt, sed etiam Ovidiano spiritu compleverunt. Atque de Elegiis et Fastis et libris in exilio scriptis flosculos tantum mutuati sunt, in Metamorphoseon vero libris non minus quam in carminibus amatoriis eroticas fabulas et erotica argumenta, quae ille ipse Alexandrinorum more operi suo inseruit, acceptissima habuerunt et imitati sunt -- ut hac quoque re appareat, quam continua serie litterarum monumenta inter se cohaereant.

Compluribus locis, ut ex imitatione statuta arti criticae succurreremus et aliquid adiumenti repeteremus, contigit.

Una pars est imitatio Ovidiana; restat ut vestigia Vergilii, Horatii ceterorumque poetarum ostendantur. Tamen hac imitatione detecta augetur cognitio et officinae horum poetarum et studii Ovidianorum medio aevo carminum, denique cognitio, quae illa aetate eruditionis fuerit facies. —

# Vita.

Natus sum Hermann Unger die 18. mensis Januarii anno 1890 Timiae, in oppido Pommeraniae, patre Gustavo, matre Ida e gente Kayser, quos adhuc superstites pie veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in patria imbutus septem annos natus una cum parentibus Dramburgium commigravi ibique post duo annos in gymnasium regium receptus sum. Inde ab anno 1903 adii lyceum Argentorati, ubi aestate a. 1903 maturitatis testimonio munitus sum. Duo annos in universitate Imperatoris Guilelmae classicis quae vocantur studiis operam dedi. Imprimis me docuerunt vv. cl. cl. Gerland, Keil, Klotz, Laqueur, K. I. Neumann, Reitzenstein, Ziegler. Deinde Berolinum profectus sum, ubi philologiae studia persequi et ad finem perducere animus ferebat. Audivi in hac universitate scholas vv. dd. Cassirer, Diels, Förster, Harnack, Hirschfeld, Holl, Kekulé von Stradonitz (†), Lasson, Lehmann-Haupt, Ed. Meyer, Norden, Preuner, Roethe, W. Schulze, Simmel, Spranger, Strecker, Tangl, Ad. Wagner, von Wilamowitz-Moellendorf. Praeterea Kekulé von Stradonitz et Preuner ut archaeologicis, Ed. Meyer ut historicis, Lehmann-Haupt ut epigraphicis exercitationibus interessem, benigne permiserunt. Quibus omnibus viris optime de me meritis imprimis Strecker, qui me ad hoc opus adhortatus est, et Norden, qui omnibus studiis benevolenter facit, quid debeam, numquam obliviscar. Examine mense Februario anni 1914 feliciter superato Sedini gymnasium regium St. Mariae petivi, ut annum quem vocant tirocinii tolerarem. Sed bello exardescente a scholae officio discessi, ut munere militari fungerer. Mox autem non procul ab Axona flumine vulneribus affectus valetudinis restituendae causa in patriam reverti. Quo otio usus sum ad hoc opusculum conficiendum.

JAN 23 1997
FEB 19 2004